


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 D
29



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

20
13
64

5. 20. E. 12

20 20
B 13
41 64

18

53

CONSTITVTIONES

SYNODALES

ECCLESIÆ VENVSINÆ EDITAE,

ET PROMVLGA-

tæ in Synodo Diœcesana habita Venusij die xvij. Septemb. quæ fuit Dominica tertia. Anno MDLXXXIX.




ROMAE, Apud Paulum Bladum Impressorem Cameralem. M D X C I.


SVPERIORVM PERMISSV.

53

Ex legato Illustriss. Cocini.




Attendite vobis, & vniuerſo gregi; In quo vos poſuit Spiritus ſanctus, Epiſcopos regere Eccleſiam, quam acquiſiuit Dominus ſanguine ſuo. 20. Act. f.



Sermo hortatorius ad Clerum Venusinum astante populo.

Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. 18.c



VANTA sit vestra dignitas, venerabiles consacerdotes, quantus dignitatis vestræ splendor, res ipsa de se loquitur, tanta certè, quanta huic vestræ nulla alia comparari potest. Quanto enim diuina terrenis, & Spiritus carni præstat, tanto Sacerdotalis auctoritas Regiæ maiestati anteferêda est. Nemo vestrum ignorat, quantum Reges, & pijssimi Imperatores de salute populorum solliciti, cadentem penè nostram religionem iuuerint, vt ij potestatem, quam a Deo acceperunt, ad eius cultum & voluntatem libentissimè conferrêt. Onias summus ille sacerdos cum vidisset religionem paululum declinare, adijt Regem, vt regali vi, & prudentia pacem daret rebus. Constantinus magnus, vt cętera eius taceantur egregia, dum Patres apud Nicæam Bithiniæ Vrbem de castissimo diuinorum officiorum cultu disquirerent, & de Cleri populique disciplina inuestigarent; ipse in inferiori subsellio residens firmam Episcoporum sententiam fore liberè professus est: Nonne Theodosius patienter tulit sacerdotis sententiam? Quid non egit Carolus clari nominis Francorum Rex in Concilio Pisano, cum de tota Christiana Religione pene actû esse videretur? Nec quicquam omisit Sigismundus ad eam rem in Constantiensi Concilio, vbi prius toterant collusiones & schismata. Non attinet nunc commemorare optimos Imperatores Gratianum, Archadium, Honorium, Iustinianum, qui Sacerdotalem Ordinê quo maximè potuerunt, & quo certè debuerunt miro coluerunt honore, amplissimisq. beneficijs exornarunt, itemque periclitanti Apostolicæ Sedi suppetias ferre non recusarunt, vt oportunis remedijs curarent grauissimos Reipub. Christianæ morbos, qui in ipsa viscera nostra, quod dolenter dico, infelici fato penetrarunt, tamque altas radices egerunt, vt voto magis, quàm facto extirpari posse censeantur. Itaque grandis est nostra dignitas, sed ruina grauior si peccemus; positi enim sumus

S. Ambr. de dign. Sacerd. c. 2.

c. Solitæ de maio. & obedien.

Mach. lib. 2. cap. 3. f

Euseb. de eius vita lib. 2. c. 10. c. continua. & c. sacerdotibus. xi. q. 1. c. duo sunt. dist. 96.

S. Hieron.

in exemplum aliorum ad ædificationem populorũ, ad diuinum cultum Deo Optimo Maximo impensius, purius, feruentius, atque honorificentius exhibendum. Nihil est, meo iudicio, quod magis prosternat hæreticorum & perditissimorum hominum superbiam, quàm bonorum Sacerdotum inculpata vita, & optimi mores: nam vberrima tunc est docendi & pascendi ratio, cum pietatem quam profitemur, vitæ probitate, & innocentia comprobamus: & quęcũque verbis alios docemus, ea factis exprimimus nostris. Visum est sæpius Dei munere, vt, qui nec legibus, nec vllis institutis a flagitijs abduci poterant, repudiata impurè viuendi consuetudine, Clero præeunte, & lumen pręferēte, christiana pręcepta verè amplexati sunt. Quales enim sunt qui præsunt, tales efficiuntur illi, quibus ipsi præsunt; si moribus deprauati, & scelerũ maculis deturpati extiterint, sperandum proculdubio non erit alios ementito habitu fore dissimiles. Nos sumus duces populi, patres, magistri, pastores ouiũ, vinitores, turres, columnæ, medici, portus, gubernatores, athletæ, pugnatores coronas gestantes, aratores Ecclesiæ, mercatores insignis illius margaritæ, pro qua magnus ille negociator Christus proprium effudit sanguinem. Duces sumus, nõ vt ducamur, sed vt ducamus oues nostræ fidei, nostræq. prudentiæ commissas, & concreditas: Patres, vt corripiamus filios contumaces, qui odia & inimicitias seminant, qui tumultus excitant contra vnitatem fidelium, qui censuras Ecclesiæ paruipendunt, qui habent linguas prurientes, quas in blasphemijs & turpiloquio iniquè relaxant; qui pacem publicam turbant, qui erigunt cornua contra Deum, qui profanas conflant hæreses, & sathanæ ministrant. Magistri vocamur, vt salutaris doctrinæ pabulo fidelium mentes reficiamus, docentes quæ vitanda, quæ imitanda, quæ item amplexanda sunt. Pastores vocant nos populi; At non est pastor ouium, qui non est amicus ouium. Solet pastor morbis ouium lenia primum adhibere fomenta, post, vbi morbi grauitas ita postulet, ad acriora, & grauiora remedia descendere: ea tamen non adhibet, nisi cum leuium beneficio desiderata sanitas desperatur: Quòd si hæc quoque non proficiant, illas saltem à cæteris submouet, vt à contagionis periculo liberet. Nobis commissa est cura & sollicitudo curandarũ animarum, vt nostræ orationes, nostra suffragia frangant iram Dei, quod vobis quoque qui adestis vna mecum maximè expetendum est. Vinitores sumus, sed vereor ne illud nobis obij-

c. cum pastoris. 2. q. 7.

c. quis dubitet. 96. dist.

ciatur.

in exemplum aliorum ad ædificationem populorũ, ad diuinum cultum Deo Optimo Maximo impensius, purius, feruentius, atque honorificentius exhibendum. Nihil est, meo iudicio, quod magis prosternat hæreticorum & perditissimorum hominum superbiam, quàm bonorum Sacerdotum inculpata vita, & optimi mores: nam vberrima tunc est docendi & pascendi ratio, cum pietatem quam profitemur, vitæ probitate, & innocentia comprobamus: & quęcũque verbis alios docemus, ea factis exprimimus nostris. Visum est sæpius Dei munere, vt, qui nec legibus, nec vllis institutis a flagitijs abduci poterant, repudiata impurè viuendi consuetudine, Clero præeunte, & lumen præferẽte, christiana pręcepta verè amplexati sunt. Quales enim sunt qui præsunt, tales efficiuntur illi, quibus ipsi præsunt; si moribus deprauati, & scelerũ maculis deturpati extiterint, sperandum proculdubio non erit alios ementito habitu fore dissimiles. Nos sumus duces populi, patres, magistri, pastores ouiũ, vinitores, turres, columnæ, medici, portus, gubernatores, athletæ, pugnatores coronas gestantes, aratores Ecclesiæ, mercatores insignis illius margaritæ, pro qua magnus ille negociator Christus proprium effudit sanguinem. Duces sumus, nõ vt ducamur, sed vt ducamus oues nostræ fidei, nostræq. prudentiæ commissas, & concreditas: Patres, vt corripiamus filios contumaces, qui odia & inimicitias seminant, qui tumultus excitant contra vnitatem fidelium, qui censuras Ecclesiæ paruipendunt, qui habent linguas prurientes, quas in blasphemijs & turpiloquio iniquè relaxant; qui pacem publicam turbant, qui erigunt cornua contra Deum, qui profanas conflant hæreses, & sathanæ ministrant. Magistri vocamur, vt salutaris doctrinæ pabulo fidelium mentes reficiamus, docentes quæ vitanda, quæ imitanda, quæ item amplexanda sunt. Pastores vocant nos populi; At non est pastor ouium, qui non est amicus ouium. Solet pastor morbis ouium leuia primum adhibere fomenta, post, vbi morbi grauitas ita postulet, ad acriora, & grauiora remedia descendere: ea tamen non adhibet, nisi cum leuium beneficio desiderata sanitas desperatur: Quòd si hæc quoque non proficiant, illas saltem à cæteris submouet, vt à contagionis periculo liberet. Nobis commissa est cura & sollicitudo curandarũ animarum, vt nostræ orationes, nostra suffragia frangant iram Dei, quod vobis quoque qui adestis vna mecum maximè expetendum est. Vinitores sumus, sed vereor ne illud nobis obijciatur.

c. cum pastoris. 2. q. 7.


c. quis dubitet. 96. dist.

ERRATA SIC CORRIGE.

pag. 8.b.lin.2.lege, à clericali. p. 12.a.lin. 16.lege. Dignitates ergo. pag. ead.lin. 24.leg. eos punctator. p. 13.a.lin. 17.leg. De commem. SS. Michaelis, & Andreę. p. 17. a.lin, 15. lege ipsi. lin. 17.leg. vbi occurrat, corrigant. & lin. 19. leg. reuerenter pag. 18.b.lin. 9. leg. baculum. pag. 21.b.lin. 3.dele. debent. et ibid. lege hortamur, pag 22.b.lin. 4.leg. amouent. pag. 24.a.lin. 12.lege. Cõcubinariorum. pag. 25.b.lin. 4. ibi, vel detrahens. adde. formam verò describendi seruabit infrascriptam. p. 26.b.lin. 2 lege hortetur, pag. 29.b. lin. 20.leg. ita claudenda sint, vt non tantùm. pag. 32.a.lin. 13. leg. ne alienæ parochiæ aliquem recipiat. pag. 33.a.lin. 18.leg. in Ecclesia locus. pag. 34.a.lin. 16. leg. percussor. lin. 20, dele, vel maioribus. pag. 35.a.lin. fin. leg. sanctè. pag. ea.b.lin. 7.leg. testibus. pag. 45.b. lin 18. dele. & pag. 46.a.lin. 3.leg. la giuridittione. pag. ead b.lin. 6.leg sepultura. & lin. 19. leg. coniugatis. pag. 48.a.lin. 18.leg. præbeat. ead. pag. b.lin. 9.leg. Mariæ. & lin. 18.leg. generare. & lin. 21.lege. possint. pag 51, b.lin. 16, lege debbano stare per. pag. 52.b. lin. 4. leg. se desidera. lin. 6.leg. nõ si lasci. pag. 60.a.lin. 9. & 10. adde in margine. c. 1. circa medium. vers. Hæc cum legeret. distinct. 96.

De

tico ſacerdotalis veſtræ dignitatis lolium vitiorum eximerem, vnde plenos meſsis diuinæ manipulos in horrea Domini reportemus. Torquebat ſanè plurimum animum cogitationeſq. meas, tamdiu abeſſe, necdum vix vultum pecoris mei cognoſcere; vt ipſum audiret vocē ſui paſtoris; ſciò enim quàm opportunè res ſe habeat, cum paterfamilias ſedulo inſpicit, & domi, & foris, qua ratione quiſque in ſuo verſetur munere; & quàm diligenter mandata perficiat. Cupiebam quidem, & iam primum cupiebam Romam relinquere, & vos videre; non tã, vt amanter gratularer veſtræ ſaluti, quàm vt languori veſtro paternè mederer. Itaque cum pro meo delato munere hanc noſtram Cathedralem, vniuerſamq. Diœceſim viſitauerim, multaq. abeſſe compererim, quæ ad exercendam excolendamque Domini Vineam attinent, nimirum animi contemplatio, vigilantia in ſalutem animarum, labor ad pia opera, ſtudium ac diligentia in obeundo munere, dolui vehementer, ac dolor redeundat in caput meum, quòd tamdiu prẹter voluntatem meam, & veſtrã expectationem aduentum meum ad vos diſtulerim. Cumque primum huc veniſſem, conſtitui in animo meo vos conuocare, vt de veſtra aliorumque ſalute, & de reſtauratione veteris diſciplinæ ageretur. Ea propter has ſynodales conſtitutiones promulgare conſtitui, tanquam primæ noſtræ religionis fundamenta. Quas ſi introſpexeritis, attentiuſque, vt par eſt, obſeruaueritis, non parum firmitatis itemque adiumenti eas habere noueritis, ad proculcandam inanem gloriam, tumq. ad excitandam in vobis ipſis pietatem diuini cultus: quo ſublato ceſſat omnis chriſtiana diſpoſitio, ordo, & harmonia: metuendaque adhuc maior ruina, ſi non ſtatim ſubſequatur vitæ noſtræ in melius emendatio: Vobis ergo conſtitutiones haſce offero, non quales velim, ſed quales in tam varijs arduiſque negocijs poſſum hoc tempore, in quibus ſubditorum vita, mores, religio, doctrina, ſtudia, & actiones conſiderantur, inquiruntur, examinantur, decernuntur, diriguntur, obiurgantur. Faueat Deus tam pio voto, & honeſto deſiderio, vt his Chriſtianæ Religionis Inſtitutis per directam maximeque expeditam virtutis viam ad veram gloriam contendatis. Quod certè mihi polliceor, ac promitto, & ita opto, vt ſperem, ita ſpero, vt futurum mihi perſuadeam. Venuſiæ die 17. Septembris. M. D. LXXXIX.



IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS.

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.




Nos Fr. Petrus Rodulphius Tossinianensis, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Venusinus, infrascripta decreta Diœcesanę Synodi in Cathedrali nostra Ecclesia celebratæ, promulgauimus.

Celebrata Missa de Spiritu Sancto ab Illustr. & Reuerendissimo Domino Episcopo, & nonnullis præmissis, quæ habentur in Pontificali, ab eodē habitus fuit sermo hortatorius ad vniuersum Clerum astante populo.

SERMO


2




SANCTISSIMO

AC BEAT.MO PATRI, ET D. N.

D. GREGORIO XIIII. PONT. MAX.


BIBL. SEC. COL. ROM. SOC. IESV


BIBLIOTECA ... EMANUE



DICI non poteſt, Pater Beatiſſime, quot, & quantas calamitates in Chriſtianam Remp. inuexerit ſacrarum Synodorum intermiſsio. Quarum neceſſitatem, ad cleri, populique ſalutem, ac moderandos hominū mores, Sancti Patres vbiq. probauerūt: cum concilia ab Epiſcopis, quoties temporum ratio poſtulabat, haberentur; Quibus poſtea, vel temporum iniuria, vel paſtorum neglectu omiſſis, iam miſerabiliter cernitur prolapſa vetus morum diſciplina. Cumque in Eccleſia Venuſina curæ meæ, fideiq. commiſſa præclarus hic mos prope deſertus obſoleuiſſet, eo diligentius ac ſtudioſius repetendum exiſtimaui, quo diutius omiſſum, & ad hanc diem vſurpatum negligentius intelligebam. Vt vero tanti muneris tarditatem aliqua diligentia compenſarem, nonnullas ſynodales conſtitutiones ad ſtatum illius Vrbis, & Diœceſis rationem accommodatas inſtitui, quas, vt ſanctiſsimę, grauiſſimæque pondus auctoritatis habeant,

V. Sanctitas Sua Benedictione cōfirmare dignetur, vt meus grex quantuluſcumque Summi Paſtoris præſidio firmior, & fœcundior in dies, neque belluarum infernarum impetus extimeſcat, & bonorum operum fœtus multiplices in Dei gloriam edat. S. V. Deus incolumem diu, fœliciterque ſeruet Sanctiſſime ac Beatiſsime Pater. Romę Cal. Ianuarij 1591.

San. V.

Deditiſsimus Seruus.

Fr. Petrus Rodulphius Toſsinianenſis, Epiſcopus Venuſinus.

INDI-

ciatur. Posuerũt me custodem in vineis, vineam meã non custodiui. Turres, & Columnas vocant nos Sancti, vt summa fide & pietate omnia perferamus aduersa. Medici dicimur, vt curemus. Gubernatores nauis, athletæ, & pugnatores portantes coronas in capite. Sed quid iuuat coronas gestare in capite, & Christum pedibus proculcare? Loqui verba magniloqua, si manus sit otiosa? aliena audacter carpere, & propria turpiter conniuere? Probandi prius sunt qui alios docẽt, num sani in fide, num emẽdati in moribus, num exemplares in vita, num diuino cultui intenti atque solliciti de aliorum salute. Aratores dicimur, vt intelligamus, quòd desides non admittit Deus in suam militiam: Clerici sumus de sorte Domini. Qui enim de sorte Domini est, vel ipse est pars Domini, vel Dominus pars sui: vel ipse possidet Dominum, vel possidetur à Domino. Vtinam iuxta spem, quã ex nomine concepimus, veri clerici essemus, stabiles in ecclesia, assidui in oratione, humiles in prosperitate, patientes in aduersitate, diuites in virtutibus. Sed nos miseros, obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, fregimus iugum, rupimus vincula, alienati sumus à ventre Ecclesię. Dicite fratres in tanto rerum discrimine, quę sacrorum confusio? quæ animarum ruina? qui bonitatis interitus? quæ deuastatio sanctitatis? qui apud omnes barbaras nationes, ac gentes nostrę religionis contemptus & imbecillitas? Vnde propter nos blasphematur quotidie nomen Dei. Populus, atque adeo omnis Sacerdotum & Clericorum cœtus superbia tumet, ambitione atque intestinis odijs, & libidinibus plenus ad rapinas descendit, ad fraudes, ad furta, ad dolos, ad contentiones, ad rixas, ad iniurias, ad vindictas, ad homicidia, ad stupra, ad adulteria; denique vsque ad sacrorum depopulationẽ, vt suo tempore clamaret Sãctissimus Pater Chrysostomus. Multi Sacerdotes, pauci Sacerdotes; quod facile intelligemus, si proponamus ob oculos bonorum Sacerdotum Sãctitatem, Sapiẽtiam, Castitatem, Simplicitatem, Modestiam. Vereor, si à mortuis resurgerẽt primi illi Sacerdotes, non agnoscerent suos filios & successores. Quare nostro exemplo restituenda est vetus disciplina, instauranda Apostolica obseruantia, excutiendæ denique sunt omnes errorum nebulæ, vt Populus declinet à peccatis, praui corrigantur, & boni quietius viuant. Mihi loquor in vobis electis à Christo summo Sacerdote, magistro morum, & fideli diuinæ voluntatis interprete. Quibus data est depositi custodia tritici dispẽsatio, & diuinus cul-

Cant. 16.

c. Clericus 12. q. 1.

Tren. 4. a Hier. 2. d

In Matth. Hom. 43. cap. Multi Sacerdotes. dist. 40.

tus: Qui alios excitamus ad pugnam. Succurrant quæso patriarchæ Iacob, & Labani decorticatæ populeæ virgæ, quæ dum noui fœtus conciperentur, varios & diuersos ex eorum intuitu producebant colores. Hæc sunt rationum momenta, quare huc vocati conueneritis, non solum, vt visitantes, & visitati mutuo consolemur, sed, vt diuino cultu propemodum inclinanti, & penè deflorescenti christiana pietate ex hac quasi specula nostræ Diœcesis partibus circunspectis sanemus vulnera, & pericula animarum, Deo iuuante, propulsemus; vobisq. in re tam graui cooperantibus nostrę aliorũq. saluti cõsulamus. maximũ enim pondus habet consultatio, in quam plures cõsenserint. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.

Gen. 30. g

c. de quibus 20. dist.

Verum malis nostris inualescentibus duplex remedium à Patribus opportunè inuentum est. Alterum si in Cathedrali nostra Ecclesia sit aliquod Seminarium educãdæ Ecclesiasticæ Iuuentutis, quæ non instruatur solum, sed etiam excolatur: ex Seminarijs enim bene institutis tanquam ex officina Ecclesiastica prodeunt viri fortes pro domo Dei: ea quidem ratione Honorius III. Pont. Max. viginti adolescentes Parisij alebat, vt arabicè perdiscerent. Clemens quoque huius nominis V. multũ diuq. laborauit pro sua Apostolici muneris cura peregrinas linguas introducere, vt ad externas gentes sancta Dei religio sese diffunderet, quos Gregorius XIII. Romę piè sanctèq. imitatus est. Et quid melius, aut sanctius à summis Põtificibus excogitari potuit? Sanè vix dici potest quantam animarum iacturam faciant illi, qui nullis bonarum artium studijs exculti, alios docere diuinam legem susceperint, quam ipsi numquam didicerunt. Vnde propheticum illud emanauit. Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Quòd si in veteri lege Sacerdos Leuiticus habẽs maculã prohibebatur accedere ad ministeriũ altaris, si cæcus erat, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel toruo naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore; Quomodo audebit accedere ille, qui lumen supernæ contemplationis ignorat? qui nescit mẽsuram discretionis? qui premitur pondere terrenæ sollicitudinis, qui vritur calore libidinis, qui nõ valet erumpere iniquitatem? Laborauerunt plurimum Episcopi prædecessores nostri Seminariũ aliquod in nostra Cathedrali Ecclesia instituere, sed hactenus, vt videtis, parum feliciter, & sine omni fructu. Alterũ huic pro-

Conc. Trid. sess. 23. c. 18.

Clem. 1. de magistr.

1. Reg. 2. a

Leuit. 21. c

ximum

ximum est,quod plurimi facio,remedium est,si Sacerdotes assiduè suis vacent Ecclesijs,Ecclesijs inquam, non agris,non armentis,non denique rebus profanis. Quid perniciosius in Ecclesia Christi,quàm dominici sanguinis administrationem stipitibus committi,& ouium greges satyris demandari?ex hoc potissimum fonte magna animarum perditio facta est. Non id propterea dico, vt relinquatis mundum dum in mundo estis, sed ne pro mundo contemnatis Christum,nec ad hominũ oculos quæratis musicam huius mundi,quæ incautos decipit. Iam iam consenuit mundus,furit sathanas,& debacchatur.miserum hoc sæculum innumerabilibus peccatis scatet,vbi nullus est sacer locus ab iniuria tutus. Si ad subleuãdas necessitates vestras temporalibus negotijs vacatis ad tempus, cedo, at si mercatores estis,& per temporalia dimittetis æterna, vehemẽter doleo, si res domestica vos à diuino cultu interdum retrahit, vestræ imbecillitati cõpatior, sed si terrenis inhiatis, deploro vestram sortem:si sensibus vestris nimium indulgetis, misereor humanæ infirmitatis, sed quantum licet, nõ quantum lubet. Si in tanta scelerum omniũ colluuie contra innocentiam doli & technæ struuntur, si dissidia torquent animos vestros, si crescunt litigia,nouæ lites,noua iurgia,nouæ contentiones, nouæ disputationes,nouę dilationes,nouæ telæ iudiciorum,consummata malitia est.Hęc ad verecundiam vestram,ne dicam ad vestrã ignominiam. O calamitatem omni temporum memoria deplorandam. Vbi nunc est vera illa,& non adumbrata christianæ pietatis species? Multa mihi dicenda forẽt,fratres, pro vestra aliorumque salute,verum tot angustijs premor, vt per Episcopalia negotia vix hæc pauca cogitare potuerim: Quæcunque hæc sint,æquo animo suscipite, & interni animi sensibus imprimite,neque vos,aut pœnarum metus,aut laxioris vitæ emendatio deterreat.Sed pro tantæ rei dignitate animo menteque pensate hæc saluberrima decreta varijs titulis expressa, & ad huius temporis statum rationemq. accommodata,in quibus si quid erit, quod vobis displiceat,coram nobis sine contentione dicite. Sic Christus sponsus Ecclesiæ custodiat hanc nostram visitationem,ne fracti colluctatione sathanæ ab instituti operis cursu desistamus,sed in nomine Iesu Christi collecti, animo liberi & expediti, Spiritus Sancti afflatu ad cælestem patriam euolantes,æterno illo æuo perfruamur,vbi omnis spiritus rerum omnium affluentia plenus assiduè laudat Deum. Amen.

INDEX RERVM, ET VERBORVM huius Venusinæ Synodi.

Cæremo-

C

Festa




INDICTIO

Synodi Diœcesanæ Venusin. ad Diem xvij. Septembris.




RATER Petrus Rodulphius, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Venusinus omnibus, & singulis Christifidelibus Ciuitatis, & Diœcesis nostræ Salutem in Domino sempiternam. Sanctorum Patrum decretis, & à sacro sancto Cōcilio Tridentino constitutum fuit, vt Synodi Diœcesanæ quotannis celebrentur. Idcirco cupientes nos, quantum cum Deo possumus, pro muneris nostri officio exequi, Diœcesanam Synodum nostram ad diem 17. Mensis Septembris proximi futuri, quæ erit Dominica Tertia, habendam decreuimus, quam ex nunc prædicto tempore celebrandam his nostris literis indicimus. Quapropter omnes & singulos Ciuitatis, & Diœcesis nostræ benefitia Ecclesiastica qualiacumque, etiam sine cura, obtinentes, aut sacris ordinibus initiatos, nec non omnes tam seculares, quàm regulares clericos quocumque iure, vel consuetudine in Diœcesana nostra Synodo interesse debentes in Domino monemus, eisdemque in virtute sanctæ obedientię, ac sub pœnis à sacris canonibus constitutis, districtè mandamus, vt ad diem dictam in habitu clericali cum cottis, seu superpellicijs in ecclesia nostra Venusina ad Diœcesanam Synodum celebrandam personaliter, & non per Capellanum, aut Vicarium conuenire, nec inde nisi obtenta à nobis licentia discedere debeant, vt Deo bene iuuante, ea statuamus, quæ ad morum emendationem, animarum salutem, cultusque diuini augmentum pro temporum ratione conducere iudicabimus. Datum Venusiæ in Episcopali Palatio nostræ solitæ residentiæ die 17. Augusti M. D. LXXXIX.

F. PETRVS



F. PETRVS RODVLPHIVS Tosinianensis,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Venusinus Vniuerso Clero nostro Salutem.



CVM SIXTVS V. PONT. MAX. ob singularem suam erga me humanitatem Romæ primum, mea opera vteretur summis grauißimisque Sanctæ Ecclesiæ muneribus, tum in sanctæ Inquisitionis officio; tum etiam ad corrigenda in Vaticana Typographia ad vetera exemplaria Sãctorum Patrum scripta, vt cumularet in me tot beneficia, super omnem meam expectationem, me Venusinæ Ecclesiæ benigne præfecit. Ego, ingenuè fateor, vix dignitatem Episcopalem nullis meis meritis assecutus, mecum altius cogitare cæpi Episcopi munus arduum fore à Deo in Ecclesiastica Hierarchia positum ad conseruandam tuendamque Christianæ religionis integritatem, moresque hominum componendos. Vnde asidue vigilare debet, pro grege laborare, superintendere, corripere inquietos, consolari pusillanimes, suscipere infirmos, ac demum patientem esse ad omnes. Porrò in hanc causam, quantum in me est, totus incumbens, hoc potißimum concilio, vt gregem meum, quód ad pastorem attinet, visitarem, & Ezechielis voce admonitus, si quid periret, vel forte in eo ægrum esset, aut animo perturbatum sanarem: siquid per schismata confractum salubriter alligarem: siquid pręterea censura abiectum esset, in hac nostra Diœcesana Synodo Ecclesiastica disciplina corrigerem. Id quod res ipsa & cura pastoralis, & meum in primis officium postulabat; vt ego quasi alter Booz vos qui sub cura mea Christo militatis, & in eodem agro Domini messores & cooperatores vocati estis in partem sollicitudinis, explorarem, vt de tri-

De ijs quæ ad Fidem, & Religionem Christianam attinent.


RIA sunt, circa quæ voluuntur cardines omnium legum diuinarum, humanarumq. cultus Dei, qui est animæ suauitas, & feruor bonæ voluntatis; propriæ conscientiæ puritas, qua nihil plane lætius, nihil iucundius: & iustitia in proximos, quæ maiori exhibet reuerentiam, pari concordiam, minori disciplinam. Itaq. quod primum ad nostras constitutiones attinet, hortamur Christianum quemlibet tam clericum, quàm laicum, vt Deum omnipotentem toto corde, totaq. anima, pura, quinetiam religione, ac interna animi pietate feruenter colat, & pie veneretur; illiq. gratias agat pro susceptis quotidie a sua diuina bonitate beneficijs; sciatq. spiritui gratiæ contumeliam facere, quisquis beneficiũ dantis grata mente non accipit. S. Ber. in Epist.

De festorum religiosa obseruatione.


ESTORVM religiosa celebratio a Christifidelibus sanctißime fieri debet, in quibus conueniendum est in templo Dei, vt diuinorum memoriã beneficiorum agamus, delibantes partem

illius diei Festi, qui cum aduenerit, tunc erit perpetuus Sabbatismus, & sempiterna festiuitas populo Dei. Idcirco mandamus, vt omnes dies festi, & religiosi, qui iure diuino semel in hebdomada a sancta matre Ecclesia præcipiuntur, obseruari debeant. Necnon, & eos, qui publico voto, aut ob alicuius optimam consuetudinem addicti sunt, ita colere oportet, vt eo die nullum omnino fiat seruile opus, nec in Vrbe, nec extra per nostram Diœcesim: Forum nullum, aut emporium exerceatur, nullæue nundinæ fiant. Quæ vero tempore sanctissimæ Trinitatis, & mense Augusti Venusij antiquó prorsus instituto celebrantur, quia Ecclesia Sancta commune debitum non acerbe a nobis exigit, sed humanæ fragilitati multa pie remittit, & facile condonat, præcipimus ne sacris Penthecostes diebus, & alijs festis, quæ eo tempore, dum nundinæ fiunt, occurrunt, nulla tractentur negotia, saltem vsque ad horam vesperarum exclusiue. Declarantes diem festum tunc optime coli, cum non solum a seruili opere vacamus, sed si in diuinis officijs, alijsq. pijs actionibus frequentes fuerimus, & salutis nostræ certa lętitia ab his rebus penitus abhorreamus, in quibus peccandi facile prębetur occasio. Igitur ad festorum cultum hortamur omnes Christifi-

deles

deles, in quibus magna pars Religionis continetur.

Diebus festis laici sacro intersint.

CHRISTIANA Religio, quæ fide prius quàm ratione discitur, aduersus deos gentium victorijs triumphans, Deum verũ, & viuum colit in sacrificio altaris. Ideoq. ex præcepto Ecclesiæ, laici quolibet die festo sub mortalis culpæ pœna totam missam à principio ad finem audire tenentur: alijs vero diebus licet non ex præcepto, eam tamen optimi Christiani, & præsertim qui laboribus manuum victum non quæritant, audire non prætermittant. Et vnusquisque maximam sãctitatem, & humilitatem, dum sacra fiunt, præseferre conetur, sciat se esse in Ecclesia sancta Dei ante maiestatem Christi, & in conspectu omnium angelorum: ideo stare debet non animi languore impeditus, sed flexis semper genibus attentus, si commode fieri posit, præterquam cum Euangelia leguntur: quo quidem tempore, tam viri quàm mulieres stare debent in præparatione Euangelij pacis.



FESTA MOBILIA.
E T
Festa obseruanda per Annum.

Omnes Dominicæ.
Dies Iouis Sancti.
Pascha Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus.
Ascensio Domini.
Penthecostes cum duobus diebus sequẽtibus.
Solennitas Sanctissimi Corporis Christi.

Festa seruanda per Annum.

IANVARII.

Circumcisio Domini Nostri Iesu Christi.
Epiphania.

FEBRVARII.

Purificatio Beatæ Virginis.
S. Matthiæ Apostoli.

MARTII.

Annunciatio Beatæ Virginis.

APRILIS.

S. Marci Euangelistę.

SS Iacobi

MAII.

SS. Iacobi & Philippi.
Inuentio Sanctæ Crucis.

IVNII.

Natiuitas Sancti Ioannis Baptistæ.
SS. Petri, & Pauli Apostolorum.

IVLII.

S. Iacobi Apostoli.

AVGVSTI.

S. Laurentij martyris.
Assumptio Gloriosæ Virginis.
Sancti Bartholomæi.

SEPTEMBRIS.

Natiuitas Beatę Virginis.
S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ.
S. Michaelis Archangeli.

OCTOBRIS.

SS. Simonis, & Iudæ Apostoli.

NOVEMBRIS.

Solennitas omnium Sanctorum.

S. Martini Episcopi, & Confessoris.
S. Andreæ Apostoli, & Protectoris nostri.

DECEMBRIS.

S. Thomæ Apostoli.
Natiuitas Iesu Christi.
S. Stephani Protomartyris.
S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.
Festum Sanctorum Innocentum.

Quod diebus festis non permittantur in tabernis comessationes, & ludi.

CVM Ecclesia sancta diuino spiritu inspirata dies festos elegerit ad religionem perpetuam venerandos, & ex mysterijs obseruandos, in quorum veneratione nihil habet non sacrum, non sanctum, Quo nihil mundius esse oportet: impietas omnium impietatum maxima est, cum eum cultum, quem hoc sacro tempore soli Deo per omnem vitam debemus, ventri & voluptatibus carnis Indulgeamus; quare, vt omnino tollantur abusus, & euitetur omnis flagitij occasio, quæ in cauponis, & tabernis deesse non solet, pręcipimus tabernarijs sub pœnis in nostris edictis contentis, ne festis diebus, dum celebrantur diuina officia, aliquem siue laicum,

siue clericum, in tabernis suis ad comessationes, & ludos admittant.

Quæ permittuntur diebus festis.

PERMITTIMVS diebus festis audita prius missa ementes panem, oua, caseum recentem, fructus, herbas, sal, & quæ facile corrumpuntur, neq; in dies conseruari possunt. Vel ea dumtaxat, quæ ad victum illius diei faciunt: tēpore vero messis liceat colligere fœnum, ligare frumenta in manipulos. Præter hæc prohibemus tam in ciuitate nostra Venusina, quàm in nostra diœcesi actus iudiciales, ciuiles, criminales, contractus, & obligationes, iuramenta, nisi de licentia nostra, vel Vicarij nostri, ac denique omne aliud opus illicitum: Quæ, si Vicarij nostri foranei non aduertant, punientur pœna librarum decem ceræ albę pro qualibet vice.

De ingressu in ecclesiam, & de honestate a laicis ibi seruanda.

CVM primum fideles tam viri, quàm mulieres templum ingrediūtur, muniant se signo crucis, & aqua benedicta (cuius ritus est frequens in Ecclesia) se

aſpergant, deinde ad Sacramentum accedant, ibique oratione pie & religioſe habita, parent animas ad tanti Sacrificij altaris celebritatem: defixos (vt decet) in Deum oculos habeant, ſpe indubia freti eũ non defuturum caſtis precibus. Sicut Daniel aperiebat feneſtras, vt oraret verſus Hieruſalem, vbi erat templum Domini: non ambulent per eccleſiam, præſertim dum ſacra perſoluuntur, non obſtrepant, vel aliquam intemperantiam committant, altaribus non innitantur, dum miſſam audiunt genuflexi maneant, ſaltem ab eleuatione vſque ad communionem celebrantis, & cum audiunt nomen Ieſus, & Mariæ Virginis inclinẽt ſe, & reuerentiam (vt par eſt) exhibeant.

Dan. 6.

Conc. Trid. ſeſſ. 2.

Arma non deferant in eccleſiam.

SICVT nullus in eccleſia tumultum excitare debet; nec colloquia profana miſcere: ſic neque arma quiſpiam introferre debet, tum maxime, cum diuina peraguntur officia; haſtilia, arcus, ſcloppetos, baliſtas, & eiuſmodi, ſub amiſsione illarum rerum, & poſt debitas monitiones, ſub pœna excommunicationis. Clerici quoque domi, non teneant arma prohibita. cuiuſque generis ad offenſionem, vel etiam ad defenſio-

nem


nem exceptis cultellis ad domesticú vitę vsum accommodatis, nisi forte suspectis locis iter eis faciendum sit: sed meminerint clericorum arma orationes esse, & lachrymas. eorumq. munus esse monere, non arma mouere. S. Chrysost. de ver. Isa. hom. 5.

Qui beneficium, vel dignitatem aliquam obtinent, debitam fidei professionem facere debent.



VISQVIS beneficium aliquod obtinuit, vel dignitate aliqua Ecclesiastica præfulget, priusquam beneficij sui possessionem suscipiat, apud nos, vel Vicarium nostrum in capitulo debitam fidei professioné facere tenetur, iuxta formam a Pio quarto fel. rec. traditam sub pœnis in eius Bulla contentis. Conc. Trid. sess. 24. c. 12 Bull. 114.

Forma professionis fidei facienda a personis Ecclesiasticis, & secularibus.



GO N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. CREDO in vnum DEVM Patrem omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibiliú. Et in vnum Dominum

IESVM Christum filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natũ ante omnia sęcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descẽdit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sãcto ex Maria Virgine, ET HOMO FACTVS est. Crucifixus etiã pro nobis sub Põtio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum Sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctũ Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & cõglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctã Catholicã & Apostolicã Ecclesiã. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq. eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector; Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum ad-

mitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimẽ consensum patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramẽta nouę legis a IESV Christo Domino nostro instituta, atq; ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necess. ria, scilicet Baptismum, Cõfirmationem, Eucharistiam, Pœnitẽtiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationẽ, & Ordinẽ sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorũ omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Triden. Synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificiũ pro viuis, & defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini nostri IESV Christi, fieriq cõuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quã conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tan-

tum ſpecie totumatque integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari: Similiter & ſanctos vna cum Chriſto regnantes, venerandos, atq. inuocandos eſſe,eoſq. orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatẽ a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq. vſum Chriſtiano populo maxime ſalutarẽ eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiã omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco. Romanoq; Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac IESV Chriſti Vicario verã obedientiã ſpondeo, ac iuro. Cętera itẽ omnia a ſacris canonibus, & œcumenicis concilijs, ac præcipue a ſacroſancta Tridẽtina ſynodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hãc veram Catholicam fidem extra quam nemo

ſaluus



saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adiuuãte, retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantũ in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

De vita & honestate Clericorum.


SICVT in naufragio nautæ sæpenumero cum nauigãtibus pereunt, & medici grassante peste cum promiscua plebe laborant. Sic sacerdotes cũ populis, & populi cum sacerdotibus vna lue corrupti eadẽ quoque colluuie plerumq. demerguntur. Clerici ergo extra communem hominum sortem

a Deo insigniter electi sunt tāquam peculiares ministri, vt exemplo inculpatæ vitæ luceant, tanquam luminaria in firmamento Ecclesię, vt sint hospitales, circumspecti, non mendaces, non immites, non maleuoli, non osores, non desides, non inertes splendentes etiam in medio nationis prauæ, testimonium habentes bonum ab illis, qui in seculo viuunt. Proinde ne a recta viuendi via, & ab officij sui rationę deflectant, ab his omnibus cauere debent, quæ, vel charitatem, sine qua nulla religio, nullaue honesta disciplina diu se continere potest, imminuere possunt, vel proximis offensam inferre, nimirum a detractione, murmuratione, & eiusmodi, quibus pestilentes efficiuntur, plerumque homines, vnde vel inter ipsos conspirare, vel in proximi inuidiam, & perniciem concurrere videātur: Quarę obnixe clericos omnes hortamur, ne mundo adhuc militare videantur, sed honestatis, & clericalis vitæ memores penitus se abstineant ab iniurijs, a maledictis, a libellis famosis, ab omni contentione, a rixis, & præcipue in choro, in sacrario, & in ecclesia; neue quidquam præseferant, quod non simplex, castum integrumq. sit; vt modestiæ; & quæ nos Deo tantopere commendat, sanctæ humilitatis exempla præbeant. Si quis autem semel in

aliquo

aliquo illorum deliquerit, mulctetur pecuniaria pœna, & alia maiori pro qualibet personæ, & criminis qualitate: si vero Dei timore, vel pœnę formidine non resipuerit, & nulla subsit emendationis spes, ab omni offitio suspendatur, & benefitio priuetur.

De habitu clericorum.



ICVT accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendam rei ipsius quidditatem; ita habitus exterior plurimum confert ad declarandam internam morum honestatem. Eapropter præcipimus omnibus clericis cuiuscumque gradus, vel ordinis fuerint, si clericali priuilegio potiri volunt, vt deferant honestum habitum, in quo non sit studiosus cultus, exquisita elegantia; aut nimis abiecta negligentia; sed eluceat modestia, parsimonia, grauitas, & honestas; vt quisque suo gradu, & ordine decenter sit compositus. Qui in ciuitate degunt subtanas talares habeant, in quibus nec pompa, nec affectatæ sordes appareãt. color vestium sit niger, caligæ Dignitatum saltim, & canonicorũ sint nigrę, nõ incisæ, vel arte aliqua elaboratæ. Alij ob paupertatem vestes cõtractiores ad genua productas habeãt, Concil. Trid. sess. 14. cap. 6.

qui-

quibus vti poterunt in itinere cõficiendo, dũ modo clericali honestate nõ abhorreãt. Procul omnino sint diploides, & manicæ albę, camisię lactucatę ad collũ, & ad manus crispę, vel aliquo studio perpolitæ: procul soleæ incisę, vel coturni: procul omnis crispatura, vel capillorum studiosa curiositas. Pilei intra ecclesiam non deferantur, foris vero simplices adhibeantur cum necessitas vrget; quorum forma, a militari pileo distet. Clerici non deferant annulos, nisi id dignitas postulet, sub amissione prædictarum rerum; & insuper contra facientes pro modo culpæ iudicio nostro punientur, & præcipue, qui nomine paupertatis excusari non poterunt.

De tonsura.

CLERICI, qui sacramenta Christianæ religionis administrare debent, caueant, nisi dura necessitate cogantur, luxuriantes comas deferre, sed coronam, quæ est militię clericalis insigne, apertam habeant: Sacerdotes pro hostiæ amplitudine: cæteri paulo minorem: barbam non nutriant, sed radant, vel saltim a superiori labro ita detonsam habeant, & in alijs suis partibus aptatam semper, vt sumentibus Christi corpus & sanguinem nullatenus ipsa sit impedi-

mento

mento, in omnibus præseferentes veros clericos esse, qui deposita mundanorum ornamẽtorum indignitate, facti sunt Deo nostro reges vere ornati, & coronati.

De modestia clericorum.

DICI nõ potest quàm necessaria sit modestia, & vitæ compositæ integritas viris religiosis, vt per eos vbique Christus summa cum reuerentia suscipiatur, colatur, & obseruetur. Ideoq. præcipimus clericis omnibus, vt nepharios hominum, & mulierculararum congressus, atque suspecta comertia caueant: non sint præcursores, aut asseclæ fœminarum, nec eis discumbentibus adsistant, vel ancillentur. denique nulla in re scandalum præbeant, cognoscentes planè non faciendi solum, sed be nefaciendi tempus esse; illudque animaduertant singuli, & omnes, quod maxime sacerdotibus dictum est. Mundamini qui fertis vasa Domini. Is. 52. e Nullus ambulet noctis tempore, nisi pro administratione Sacramentorum sub pœna vnius ducati pro prima vice, secunda carceris, tertia suspensionis.

Mercatores clerici.



NIHIL magis monſtruoſum eſt, quàm cum illi, qui Deo militant, & diuina ſorte contenti eſſe deberent, conuerſi in arcum prauum, volunt habere partem cum mundo & negotijs ſecularibus. Propter quod ſcandala oriuntur in populis, quorum ſtulta impietas, & vana impudentia maxima eſt. Quid enim turpius, quàm videre clericos ementes, vendẽtes, mutuo dantes, recipientes, congregãtes non virtutes, ſed opes? Quare hac noſtra cõſtitutione prohibemus ſub pœna carceris, & amiſsionis rerum illarũ, quas mercati fuerint, & alijs pœnis, ne huius mali nominis clerici contractare audeant, neque in tractãdis rebus medios vel interpretes ſe exhibeant prædia nõ conducant, pro nemine ſpondeant, aliorum tutelam aut curã non ſuſcipiant, non ſint procuratores vel aduocati in cauſis criminalibus neque ciuilibus, niſi de noſtra vel Vicarij noſtri licentia. Laicorum negotia non procurẽt, neque in negotijs mundanis, ſecularibus inſeruiant. Paternos tamen redditus ita clericos permittimus vendere, vt omnis vſuræ ſuſpicio, & illicitę conuerſationis nota tollatur omnino.

Vena-

Venatores Clerici.

VENATIONES, & venatoria retia iuxta ſacrorum canonum formam clericis interdicimus: canes quoq. & accipi tres alere non pręſumant, ſub eiſdem pœnis a ſacris canonibus inſtitutis, & alijs pœnis arbitrio noſtro.

Venatores macellarijs comparant.

Menſa capitularis.

QVI rerum capituli adminiſtrationem habet, ne in ſuſpicionem incidat fraudis, furti, vel negotiationis, non inſeruiat priuatis commodis, neque illegitimas expenſas faciat, vt ne caballus quidem expendatur temere, & cuncti videant quanta fide, & diligentia tractentur res capitularis menſę. Quę, vt accurate ſeruetur, mandamus procuratoribus capituli, vt duos libros conficiant, quorum alter contineat ſigillatim omnia bona dictæ menſę capitularis, ædes, vineas, cenſus: nomina quoque eorum, a quibus relicta ſoluantur; In altero ſeruentur ſcripturæ legatorum, donationum, teſtamentorum, codicillorum, obligationum, & anniuerſariorum pro animabus benefactorum, quæ ſoluantur om-

nino: & vterque liber seruetur, vt thesaurus capituli, qui præsententur Reuerendissimo Episcopo, vel eius Vicario in octaua Paschatis Resurrectionis.

Quo tempore congregari debet capitulum.

INHIBEMVS ne capitulum de cętero congregetur festis diebus, neq. alijs diebus feriatis dum Missæ & diuina celebrantur, sub pœna decem librarum cerę albæ pro qualibet vice, quia hoc idem prohibetur laicis in Ephesino, & Lugdunensi concilio; multo fortius & rationabilius clericis, qui diuina tractant, prohibetur. Monemus quoque ne in ecclesia præcipue in choro & sacrario clamositates fiant, confabulationes, inutiles disceptationes, & ea omnia, quibus animi facile deturbantur. Qui secus fecerit punietur pœnis canonum, & alijs pœnis arbitrio.

Cap. placita 15. quęst. 10. cap. decet de immuni ecc. in 6.

A quibus abstinendum sit clericis.

PLEBS ipsa, & populi expectant, vt sacerdotes præeant, quos sequantur, vt exemplum ab illis accipiant, atque odorem vitę in vitam, & non in mortem. Sint velut odor suauitatis in thymia-

2. Cor. 2.

miamate, mouent enim plus exempla imitanda, & mores, quàm verba: quare clerici vitare debent turpia omnia, vt ludos foliorum, & taxillorum: quorum nec eos ſpectatores eſſe volumus. Perſonati non incedant, ne ſcandalo cuiquam ſint, ne eis obijciatur illud; Sacerdotes cõtempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea. Blaſphemias fugiant, & iuramenta vana, ſcientes quod Deus non irridetur, neq. irriſores patitur; qui mira ſubtilitate diſcernit opus ab intentione: nõ murmuret alter in alterum, neq. ipſi tanquam cornices improbæ ſe ipſos mordeant. Si quis in eiuſmodi inciderit, pœnis ſacrorum Canonum punietur. Ezech. 22.d

Cauponantes clerici.



AD TABERNAS accedere non audeant niſi cauſa itineris, & tunc tãta cum modeſtia, vt cæteris exemplo ſint, ſi ſecus fecerint, a nobis non iam paterne, ſed iudicialiter punientur: Si fuerit ſacerdos mulctabitur pœna vnius ducati pro qualibet vice. Subdiaconi, & Diaconi pœna medij ducati in vſus pios erogandi, Clerici ſub pœna quadraginta plagarum vna minus: fugiant omnino compotationes, & conuiuia cum laicis in ſuis vineis ad euitandas

murmurationes, & ſcandala ſub pœnis arbitrio noſtro.

De modo quo clerici intrare debent eccleſiam, & chorum, & ibidem manere.

CLERICI ingredientes eccleſiam primum ſe crucis ſigno muniant, pronuncientque ante omnia verba illa. Per ſignum crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter: ad terrendos vel etiam fugandos inimicos inuiſibiles, qui nobis inſidiantur quàm maxime poſſunt; deinde aſpergant ſe aqua benedicta, & ad maius altare procedant dicentes illa verba. Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Qui ante ſanctiſſimum Sacramentum genuflexi facta humili & deuota oratione, ſacrarium ingrediantur; cum vero illic omnes conuenerint, ſacriſta pulſabit campanulam, & tunc ordinate bini & bini chorum intrabunt, præcipue feſtis diebus: & vnuſquiſque in loco ſuo grauiter, & conuenienter ſe habebit. Ita quoque cum e choro egredientur, in ſacrario ſeſe exuent ſine aliquo ſtrepitu, vel vaniloquio. Caueant, ne quid indecorum, vel a diuinis laudibus alienum dixerint. Nullus a choro diſce-

Pſal. v.

dat tam in celebratione diuini officij, quàm Missæ. Si quis contrafecerit, punctetur primo, secundo duplicetur punctum, tertio puniatur pœna vnius tareni ad vsum sacristiæ.

De modo celebrandi diuinum Officium in choro.

NVLLA res est inter omnes vitæ huius exercitationes, de qua tam copiosum sermonem habere oporteret, quàm de diuino officio, quod erga Deum pie suscipi, & religiose canendo, & psallendo persolui debet, ita, vt cœlestis etiam patriæ inter nos quædam resplendeat dulcedo; sunt enim hæc diuina officia constituta tanquam vectigalia publica, quibus agnoscatur diuina Maiestas. Dignitates vero, & canonici suis almutijs, siue capucijs (vt vocant) semper vtentur: In choro omnes & singuli alternatim, viuaque voce officium recitabunt iuxta ritum Breuiarij Pij V. Sanc.rec. celebrantes illud pie ac deuote, non præpropera celeritate, vel syllabis interceptis, non cursim, non oscitanter, non perturbate: sed distincte, mature, grauiter. Abstineant in choro a mutuis colloquijs, a legendis litteris, alijsq. rebus tractandis, ne illud cum ratione obij-

Matth. 15. a ciatur; Populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longe est a me: Verum postquam sancta Ecclesia de more auspicatur omnia diuina officia ab hac oratione: Deus in adiutorium meum intende: Similiter omnia concludit hac voce. Benedicamus Domino, vel Deo gratias, hoc vnum perpetua religione obseruent in principio diuini officij inuocandũ esse Deum; in fine vero gratias ei agendas, quia ex Deo omnia, & in Deum omnia. Errata autem & lapsus, qui in choro inter legendum acciderint, cantor, vel primicerius modeste corrigat; in alijs vero ecclesijs Archipresbyter, vel dignior de capitulo.

Qui in choro non interfuisse dicantur, & quomodo punctandi sunt.



VI in matutinis, & canonicis horis in fine vltimi versus primi Hymni in chorum non peruenerint; in vesperis, & completorijs in calce primi Psalmi, Missis vero antequam primum kyrie perficiatur, illos non interfuisse iudicabimus; idemq. sentiendum est de illis, qui de choro discesserint nulla vrgente causa punctator, eos censeat prorsus absentes. Vicarius secunda vice in eorum quemque seuere animaduertat, tertia

deni-

denique in carcerem puniendus a nobis detrudetur.

Qui dicantur absentes ab ecclesia.


BSENTES ex causa aliqua, vel certa occasione, & necessitate, prius aliquem instituant, qui Missam, & alia onera ad ipsum spectantia suscipere teneatur; & qui vltra duos menses abfuerint iuxta formam Concilij Tridentini corripi volumus sub pœna prouentus pro illo tempore, quo fuerint absentes. Si vero partitores neglexerint, eadem pœna puniẽdos dicimus. Nullus extra territorium pernoctet absque licentia nostra, vel vicarij nostri, sub pœna decem librarum ceræ albæ pro qualibet vice. Conc. Trid sess. 14.

De commemoratione Sancti Andreæ.


BI fiunt commemorationes Beatæ Virginis, & Apostolorum, pręcipimus tam in vesperis, quàm in matutinis cõmemorationem fieri S. Archangeli Michaelis huius viciniæ nostræ protectoris inuictissimi, cœlestiumq. legionũ principis gloriosissimi. Post commemorationem vero Apostolorum fiat commemoratio

Sancti Andreę, cui hæc nostra Cathedralis ecclesia dedicata est, eumq. patronum habet, vt sit pius intercessor pro nobis apud Deum, & promptus adiutor. Idemq. mandamus per totam nostram diœcesim obseruari.

Quomodo festis solennibus canendum sit.

IN sacratissima Natalis nocte, quæ altissima ratione vere ineffabili celebratur a Christifidelibus: Matutinum integrum, & Te Deum cum organis cantari volumus, idemq. in Paschate Resurrectionis, & Penthecostes, & in die S. Andreæ patroni Cathedralis nostræ ecclesiæ: In cæteris vero solemnitatibus sat erit Te Deum canere alternatim cum organis, quæ etiam pulsanda erunt in vesperis, saltim ad canticum Beatæ Virginis. Caueat organorum pulsator, ne profana canat, & diuinis intermisceat.

Conc. Trid. sess. 14.

Dignitates, & Canonici.

CVM ecclesia nostra Venusina nihil habeat eminentius, quàm, vt inter Dignitates, & Canonicos nostros seruetur ordo, & decus: Hi enim sunt fratres no-

ſtri, gaudium & corona, ac primogeniti in multis fratribus; ſignantes ſeruos Dei in frontibus eorum, adiuuātes infirmitatem noſtram ad regendum Dominicum gregem. Idcirco declaramus ad conſeruandam augendamq; Eccleſiaſticam diſciplinā, quatuor Dignitates exiſtere in noſtra Cathedrali eccleſia; Archidiaconatum, Archipreſbyteratum, Cantoratum, & Primiceriatum. Quorū vitę, & doctrinæ præſtantia eiuſmodi eſſe debet, vt non pigeat tanti nominis, ſi non fuerint tantæ imitatores dignitatis. Sicut ergo Dignitates, & Canonici cæteris præſtantiores ſunt: ita quoque tales eſſe debent, qui inſtitutionis ſuæ memores omni pietate, & aſſiduitate ſuo muneri reſpondere poſſint, vt ſeruent grauitatem in cunctis, habitu, inceſſu, verbo, & re ipſa, vt omnibus bono exemplo ſint, & Eccleſiæ Dei ornamento. Senum quoque, & qui ad annos quadraginta ſeruierunt, habenda eſt ratio. seſſ. 24. c. 12

De munere Archidiaconi.

CVM Archidiaconus ſit oculus Epiſcopi, declaramus hac præſenti conſtitutione præter ea, quæ mandant ſacri canones, ad eundem in noſtra cathe-

drali ecclesia spectare, celebrare, vel celebrari facere vesperas, officium, & Missam maiorem absente Episcopo, vel eo præsente, & celebrare non valente, in festo sancti Andreæ Patroni ecclesiæ, in vigilia Natalis Domini, officium, Missam maiorem; & vesperas eiusdem diei, vesperas, horas matutinas, benedictionem & dispensationem candelarum in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis: vesperas & matutinas horas, benedictionem, & dispensationem palmarum in Missa in Dominica palmarum; in die Iouis sancti ablutionem pedum pauperum, matutinas, & reliquas horas canonicas in die Mercurij hebdomadæ sanctæ ac alijs diebus sequentibus cum oratione Respice quæsumus: officium; & Missam in die Paschatis Resurrectionis, Sanctissimi corporis Christi. Ac demum ponere mitram & biretum Reuerendissimo Episcopo, eique complanare capillos iuxta ritum in Pontificali: Itemque facere matriculas de omnibus Missis dicendis in Cathedrali ecclesia, vel in processionibus etiam festiuorum dierum, excepta matricula hebdomadæ sanctæ cum distributione Missæ secundæ, & tertiæ feriæ Resurrectionis Domini. Exhibitio vero capparum choristis ad Cantorem referenda est; Declaramus insuper hac nostra constitutione, vt

in veſperis & Miſlis Beatæ Virginis, & Apoſtolorum, ſi Archidiaconus voluerit celebrare tanquam prima Dignitas, non impediatur. Quo abnuente ſuccedat Archipreſbyter, & eo nō valente Cantor, vel Primicerius: ſi Dignitates nequeūt, primus Canonicus. Qui vero alterū deturbauerit, vel contrafecerit punietur prima vice pœna decem lib. ceræ albæ, ſecunda carceris per duos menſes; tertia ſuſpenſionis a diuinis.

Archipreſbyteri officium.



AD OFFICIVM Archipreſbyteri, quæ eſt ſecunda Dignitas in noſtra cathedrali eccleſia, ſpectat monereq́ ſacerdotes omnes præter officiales, vt ſint cauti in adminiſtratione ſacramentorum: necnon & ordinem baptizandi iuxta ritum S. Rom. Eccl. retineant. Ad eundem attinet celebrare veſperas, matutinas, & alias horas canonicas, Miſſam maiorem in feſtiuitate omnium ſanctorum: veſperas, matutinas, & Miſſam maiorem in proceſſione, in die Commemorationis fidelium, veſperas, matutinas, & alias horas canonicas, & Miſſam maiorem in die Epiphaniæ, & Circumciſionis Domini, benedictionem, & diſpenſationem

cine-

cinerum feriæ quartæ cinerum: Missam maiorem, & processionem in die Iouis sancti: Missam cũ adoratione crucis in die Veneris sancti, Missam in die Sabbati sancti cum benedictione fontis. Missam, & horas canonicas cum benedictione fontis in die Pentecostes: Rursus mitram pontificalem a sinistris, vt in Pontificali celebranti Episcopo submoueat, curam habeat sacramentorum, vt rite, & recte administrentur, præsertim vt Sacramentum Eucharistiæ qualibet hebdomada feria quinta, qua die fuit confectum renouetur. Insuper Archidiaconus, & Archipresbyter in velatione, & consecratione Monialium comitentur a papilione consecrandam; adducentes illam ad Episcopum in Faldistorio sedentem; tum Archipresbyter leget coram Episcopo supplicationem, & approbationem ad velandam monialem.


Cantoris Officium.


ANTOR qui in choro est velut rota portans orbem diuinorum officiorum, pra instruere debet sacerdotes circa Missas dicendas, & quæ canenda prædoceat, & cum quibus cerimonijs; denunciet, qui versus, qui psalmi, & quæ responsoria recitanda.

tanda. Si canendum, si legendum, tam in choro, quàm in processionibus, & exequijs cum exhibitione capparum choristis tantum, Ad eúdem quoq. spectat matricula maioris hebdomadæ, & Missa in sacratissima nocte Natiuitatis D. Item quando in choro sit sedédum, standum, genuflectendum; qui dicturi sunt Euangelium, vt ad altare qua decet reuerentia, incedant. Curabit prætérea, vt quisque se accommodet canendo non ad voluptatem aurium: sed ad compunctionem cordium, vt diuinæ Maiestatis laudes efferantur in templo, & sua ipsius magnalia: vt qui ea canunt, non tam canere, quàm iubilare videantur, & oblectamentò dulcedinis auditorum animi excitentur ad diuinas laudes. Qui vero contrahendo, vel protrahendo vocem confusionem & tumultum induxerint, si moniti non desistát, confundantur, & tandem de choro eiiciantur: Studeat quoque Cantor, vt pridie sequentis festi imponantur clerico lectiones, & responsoria dicenda pro die sequenti, vt is bene videat, & meditetur, ne audientibus scandalo sit, & risum, vel potius derisum inducat: Qui obedire neglexerit a Vicario nostro puniatur.

Rabanus lib. 2. de inst. cle. cap. 48.

De



De Archipresbyteris, & Cantoribus Terræ Fe-
renti, & Spinazolæ nostrę diœcesis.



D TOLLENDAS simultates & scandala, quæ inter nostros clericos nimio præcedētiæ studio excitari possent, hac nostra constitutione declaramus, Archipresbyteratū, & Cantoratum tam in ecclesia Spinazolę, quàm Ferenti esse & fore Dignitates: Archipresbyteratum tamen primum locum habere tam in ecclesia & in choro, quàm etiam in processionibus. Vt ergo sunt Dignitates alijs pręcedentes, ita volumus eos signo aliquo exteriori ab alijs decerni, nempe, vt Archipresbyteri, & Cantores prædictarum ecclesiarum tam Spinazolæ, quàm Ferenti de cætero vtantur in ecclesia, & in processionibus almutio siue caputio, quo vtuntur Dignitates, & Canonici in nostra cathedrali ecclesią. Idem quoq. dicimus de Rectore S. Marię Terrę Ferenti. Nam & ipse cum sit Dignitas, & primum locum habeat in sua collegiata ecclesia: ita rationabile est, vt alijs presbyteris cognoscatur præeminere. Cum vero eum contigerit vel in processionibus, vel alia de causa ad ecclesiam S. Nicolai accedere, declaramus illum habere locum post Dignitatem Cantoratus, nisi forte honoris gratia ad

ſuperiorem locum admitteretur. Ad Archipreſbyteros dictarum eccleſiarum, ſpectat abſente Reuerendiſsimo Epiſcopo, vel eo præſente, & non celebrante Miſſas omnes Pontificales celebrare tam in diebus Paſchatis Reſurrectionis, quàm etiam Natiuitatis Domini; benedictio, & diſtributio palmarum, & candelarum: impoſitio cinerum ſuper capita fidelium feria quarta Cinerum, ablutio pedum pauperum in Cœna Domini, portare Sanctiſsimum Sacramentum ad ſacrum ſepulcrum; officium Sabbati ſancti; portare Sacramentum in ſolennitate Corporis Chriſti; ordinare proceſsiones ad præſtitutũ locũ, corrigere ab ea parte chori vbi ipſi manent, errata & lapſus, ex altera parte Cantor, vel etiam ſeniores capituli vbi occurrat. Rurſus, vt Miſſæ, & diuina officia dicantur per ordinem, vt reuerenter ſeruetur Sanctiſsima Euchariſtia, atq. etiam, vt renouetur qualibet feria quinta. Qui cantare Euangelium debeant ſolennibus diebus, quis pulſare campanulam ad excitandum populum, quis ad eum conuocandum in Quadrageſima, in Aduentu, & alijs prędicationis temporibus, Cantores vero dictarum eccleſiarum ſedebunt à ſiniſtris in choro in primo ſubſellio, qui abſente Archipreſbytero ordinabunt veſperas, & alia officia. Sed Canto-

re absente antiquior ecclesiæ supplebit: Ordinabunt coristas, qui debeant cantare & seruire sacerdoti & altari: celebrante Archipresbytero decernet cantor quis cantaturus epistolam, Psalmos, antiphonas, & responsoria, tam in Ecclesia, quàm in exequijs, & suffragijs defunctorum. Quis stolá accipiat & absoluat officium. Cæterum mandamus ad meritum salutaris obedientiæ, & sub pœna lib. centum ceræ albæ pro qualibet vice, ne quis præsumat deturbare officium alterius Si vero moniti non desistant, punientur alijs pœnis grauioribus.

De Presbyteris in pago Mascheti nostræ diœcesis.


RESBYTERI qui in pago Mascheti viuunt Græcorum more sine more, teneantur de cætero docere populum, cuius ipsi curam susceperunt. Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere: nec non ignem purgatorium reperiri, quo animę ibi existentes purgantur, & fidelium suffragijs. potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio iuuantur. Si quis aliter dogmatizare præsumpserit grauiter punietur.

Concil. Floren. sub Eugenio iiij.

Conc. Trid. sess. 25.

Mandamus insuper sub pœna decem lib. cerę albæ: Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum qua decet veneratione custodiri in tabernaculo argenteo simul radiante auro: intus vero circumamicto mundissima Syndone, cũ lampade accẽsa perpetuo. Tum vero ad ægrotos deferatur cum alio vase argenteo accensis luminibus, vt decet, sub pœna pro qualibet vice xxv. lib. cerę albę mox confraternitati Corporis Christi erogandæ.

Primicerij officium in choro, & in ecclesia.



AD Primicerium spectabat olim tota Cantorum schola ab Hilario Papa instituta, & a Gregorio magno restituta: cuius opera optimi iuuenes selecti in cantu, lectione sacrorum librorum, & optimis moribus instituebantur, docuitque Sanctissimus Pontifex Gregorius Romanum cantum, & scholam, atque etiam primicerium instituit: Qui in cathedrali nostra ecclesia inter Dignitates quartum obtinet locum, & Cantore absente chori disciplinam sustinet, & moderatur: sunt enim Cantor & Primicerius quasi quædam columnæ totum fere horarum, & diuinorum officiorum pondus su-

Bibliothecarius i vita Hilarij Papæ. Io. Diac. in vita S. Greg. Papæ lib. 2.


ſtinentes. Ad Primicerum quoque ſpectat tam prædicationis tempore, quàm alijs temporibus; tum maxime ad horas canonicas ordinare, vt campanæ & tyntinabulum in hebdomada ſancta opportune pulſetur. Inſuper celebranti Epiſcopo præintonabit primam antiphonam, & ad Magnificat, ceroferarios quoque præordinabit, turibularios, mitram, bacculum paſtoralem, & librum deferentes: Subdiaconos etiam præmoneat, vt Epiſtolam ante videant, quàm cantent.

Punctatoris Officium.

PVNCTATOREM eiuſmodi eſſe opportet, vt in eo ſit maxima fides & religio; is enim non hominis, ſed Dei exercet officium: ideo non dolo, ſed bona fide puncta colligere debet, vt illi ſoli expungantur, qui iure pungendi ſunt: ne forte in partitione violetur mutua Charitas; & propterea punctatores inſtituendi erũt per ſecreta ſuffragia. Sicut etiam Procuratores Capituli, qui iurabunt in manibus noſtris, vel Vicarij noſtri fore in ſuo munere obeundo diligentes, qui ſtudioſe explorent, & in libro punctationum notent omnes quicunque ij fuerint. Quod ſi deliquiſſe depræ-

hensi fuerint a Vicario nostro ante tempus deponantur, & alij magis idonei substituantur.

Sacristæ officium.



SACRISTA debet in primis decorem domus Dei diligere & amplecti, vt munditiæ nitoriq; consulens omnia ad Missæ sacrificium opportuna munde,& pure in sacrario seruet,sicut tanto coueniũt ministerio.Missam ipse celebrabit in aurora:paramenta non adhibeat pro ornandis sedibus,muris,vel capellis, sed in eum seruet vsum,ad quem ea ipsa instituta sunt, mutanda semper pro temporum varietate. Ea vero quæ ad quotidianum vsum adhibentur, diligenter quolibet Sabbato perquirat, & ipsorum restaurationem nobis referat,vel procuratori nostro. Ter in die pulset Aue Maria iuxta decretum Calixti tertij.Peregrinũ Sacerdotẽ ex decreto Sacri Concilij ad celebrandum non admittat absque litteris dimissorijs, & nostra,vel Vicarij licentia. Aquam benedictam singulis hebdomadis, vel etiam sæpius,si opus erit,ipse renouet. Sess.23.c.16.

Celebraturi Missam.



VI Missam celebraturi sunt, vt sibi, & alijs efficacius prosint, frequentius cum opus fuerit, contritione præmissa, peccata sua confiteantur. Nullus præoccupet locum ijs, qui prius venerunt, nisi vrgente necessitate: sed simpliciter, prout quisque accesserit se paret cum charitate, & ordinate egrediatur Missa precedente nondum completa.

Quàm religiose debent Sacerdotes se disponere ad Missæ celebrationem.



A CHRISTO IESV Sacramenta ad hæc instituta sunt, vt nostrarum infirmitatum sint medicinæ: Idcirco præcipimus omnibus, & singulis in dignitate constitutis, Canonicis, & Mansionarijs, necnon, & alijs nostræ diœcesis sacerdotibus, quatenus non obstante ecclesiæ nostræ laudata celebrandi consuetudine, constitutione, & tabulæ obligatione, quàm sæpe (quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & puritate) sacra facere debeant. Meminerint ex Concilij Trid. decreto singulo Dominico die, & alijs quoque festis diebus ce-

Seff. 23. c. 13.

lebrare debere, frequentius vero, qui curam animarum habent.


De his quæ seruatur in noua Missa.

SI OCCVRRIT, vt noua Missa celebretur, quæ tamen celebrari nõ debet absque hostra, vel Vicarij nostri licentia in scriptis. Si sacerdos Venusinus extiterit, nolumus ipsum sacra facere, nisi prius ceremonias in nouo Missali Sanctissimi Pij V. iussu edito optime, atque adamussim callueriț: et coram Vicario nostro, siue ceremoniarum magistro semel ad minus sui periculum fecerit. Si vero diœcesanus fuerit a Vicario foraneo. Ad oblationes autem, quę fieri solent, non offerant populo patenam sacram, vel manus deosculandas, vel capitis coronam tangendam, sed, vel crucem, vel Crucifixi exiguam imaginem. Cantiones & soni reijciantur. Prandia quoque omnia dãnamus, & reijcimus, & quicquid attinet ad mercedum conditiones, & pacta, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt.

Conc. Trid. sess. 22.

Quid in Missa Sacerdotes, & ministri agere debent.

Heb. 5. 2

ACERDOS, qui, vt ait Apostolus, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis; quibus Deum propitium reddat. Sacra facturus omnibus conscientiæ suæ latebris diligenter excusis, alijs ceremonijs non vtatur, quàm quæ ab Ecclesia Romana approbatæ sunt. Sic namque qui Missam audituri conuenerint ad Dei laudes facilius excitari poterunt.

Subdiaconi & Diaconi quoties & quando Sanctissimum Sacramentum sumere debeant.

LERICI si debitā ætatem habeāt, Subdiaconi, & Diaconi primo die Dominico cuiuslibet mēsis & festis

Sess. 23. c. 14

solemnibus ex decreto sacri Concilij Tridentini cōmunicent: Die vero Iouis maioris hebdomadæ religiosi & Clerici omnes, qui non celebrabunt Missam, teneantur communicare in nostra Cathedrali in Missa solemni.

Quo-

Quomodo ſe ad altare habere debeant.

SINT ATTENTI & diligentes in miniſterio Miſſæ: neque aliquem actum admittant, quo poſsint inducere aſtantes ad riſum. Non ponant ſuper altare ſua bireta, vel ſacerdotis cui ipſi inſeruiunt, id quod ſane indecorum eſt, ſed illa affigant clauo ad hoc parato. Clerici cum altari deſeruiũt ſemper ſuperpelliceo vtantur, donec ſacra fiunt, & diuina celebrantur: oculos non circumquaque vertant ad omnem leuitatem, qua aſtantes pios offendere poſsint; et dum Chriſti corpus eleuabitur cum cereis accenſis & campanulæ ſono populum ad illud adorandum excitabunt.

Scribantur nomina celebrantium a Sacriſta.

SCRIBENDA QVOQVE ERVNT Sacerdotum celebrantium nomina, vt intelligamus ſi Dignitates, Canonici, Manſionarij, Capellani, & reliqui Clerici ſuo officio defuerint: vel non accedentes ad eccleſiam, vel in ea non perſiſtentes, & celebrantes ſicut tenentur & decet fideles Dei miniſtros. Nempe ob tam graue animarum opus, quo ipſi præmuntur non ſolum cæteris

 ſin-

ſingulari exemplo eſſe debent, ſed cum pietate & religione animabus medelam ſubminiſtrare debent. Hortamur eos, qui celebraturi ſunt, vt quæ vel dicturi, vel recitaturi ſunt antea perlegant, ne incaute vel puſillum errorem incurrant.

De modo manendi in choro, & de cæremonijs ibidem exhibendis.

LOCVS DIGNITATVM in choro ita diſponitur, vt a dextris Epiſcopi ſit Archidiaconus oculus Epiſcopi: quem poſt ſequitur Cantor poſitus ad regendum diuinum officium: A ſiniſtris vero Archipreſbyter; prope eum Primicerius, cæteri vero Canonici ſequuntur iuxta illorum primogenita, vt quiſque ſuum locum retineat. Cum in matutinis auditur vox illa, qua Eccleſia vtitur quaſi tuba. VENITE EXVLTEMVS DOMINO, protinus omnes ſurgant; ita quoque fieri debet in tribus Canticis, BENEDICTVS, MAGNIFICAT, NVNC DIMITTIS. Et cum auditur illud. VERBVM CARO FACTVM EST, Flectatur vtrumque genu, ſicut ad ea. Deus homo factus eſt: Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, o ſalutaris

hoſtia,

hoſtia, o Crux aue ſpes vnica, Tantum ergo Sacramentum. Nos quoq. qui ſácto tuo, Christe redemptor omnium, IESV noſtra redemptio, IESV corona celſior, IESV redemptor omnium, Veni Sancte Spiritus, O lux beata Trinitas, Aue Maris ſtella, O glorioſa Domina, Salue Regina, Aue Regina, Alma Redẽptoris. Cum vero celebratur Miſſa conuentualis ſint omnes attento animo ad diuina, quæ peraguntur myſteria: nec aliud officium priuatum dicant ſub pœna vnius carolini pro qualibet vice. Procul a choro ſint ocioſi deſides, muti, loquaces, colloquia vana, riſus, non ibi teneant pileos, vel chirothecas: ſint in habitu decenti, & honeſto cum ſuperpellicio. Dũ eleuatur ſanctiſſima hoſtia genuflexi maneant vſque ad communionem incluſiue, vt quiſq. ſpiritualiter communicet cum celebrante.

De Cæremonijs in eccleſia.




ÆREMONIÆ ſunt ſacri ritus, flores deuotionis religionis inſignia & ornamenta: quæ Chriſtianam religionem ſequuntur, ſicut vmbræ corpora; vnde non ſolum modicam vim habent ad permouendos animos ad diuinarum rerum con-

templationem, & ad Christianam religionem excitandam: quippe cum sempiternam diuinorum beneficiorum memoriam præferant; sed etiam omnem ammouent superstitionem, & vanos ritus. Si tamen ab Ecclesia approbatæ ac frequenti & laudabili vsu receptæ fuerint.

Parochi diebus Dominicis & festis Cathedralem ecclesiam non deserant.

PAROCHI quibuscumque diebus Dominicis & festis se ad cathedralem ecclesiam cum superpelliceis conferant: neque inde discedant occasione inseruiendi parochiali ecclesiæ, nisi completis horis matutinis, & primis, sub pœna vnius tareni pro qualibet vice: deinde Missæ maiori intersint factis debitis interuallis vnius horæ cum dimidia. Neque vllum officij genus prætermittant, quo fidelem populum erudiant ad pietatem, Deique cultum excitent. Demum, vt a terrenis cogitationibus ad cælestium rerum amorem reuocent, pueros singulis Dominicis diebus Christianæ religionis fundamenta doceant. Insuper hortentur suos subditos, vt communibus eorum sumptibus comparetur pallium, quod mortuo imponi solet, idq. omnibus in funere gratis commodetur.

Parochi quomodo se habere debent ad suos subditos.



SICVT in militia instructa ad pugnam sunt multi Duces. Ita quoq. in ciuitate bene ordinata sunt parochiæ, quasi variæ classes, & exercitus per vexilla, & signa militaria ex ipso sacerdotum numero distincta, vt vnusquisq. rudimenta fidei, quæ a nemine ignoranda sunt, perdiscat. Quod vt commodius faciant, habeant librum, vt omnium animarum in sua parochia memoriam perennem assequantur, habeant quoq. curam infirmorum, & nobis eorum nomina significent, vt illis verbo, & opere consolemur, Ad confusionem vero fraudemq. tollendam prohibemus, ne in administrandis Sacramentis se ingerāt in aliena cura, nec proprios limites trāsgrediantur, aut quemquā absq. proprij curati facultate ad confessionē, vel ad cōmunionem in suam parochiam recipiant. Debent iuxta sacri Cōcilij decretū singulis diebus & festis solemnibus aliquid ad eruditionem & Ecclesiasticā disciplinam Populo annunciare, præsertim quod abstineant temporibus prohibitis à carnibus & laticinijs, & pro sua & plebium capacitate pascant salutaribus verbis. Sess. v. c. 2. & sess. 24. c. 4.

Qui-

Quibus libris vti debeant.




EBENT PAROCHI firmiter tenere & amplecti doctrinam & fidelem sermonē, potentes quidem in doctrina sana exhortari, & eos qui contemnunt reuincere. Et ne eos errare cum suo & aliorum detrimento cōtingat. In legendis libris non sequantur priuatum iudicium, sed Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis. Itaque habeant sacrorum librorum si non copiam, certe necessarium delectum. His vero libris sine periculo animarum vti poterūt videlicet, sacris Biblijs vulgatæ ędi-tionis ex decreto Concilij Tridentini, Cathechismo Romano, Computo Ecclesiastico, Rationali diuinorum officiorum, Cathena aurea Sancti Thomæ super quatuor Euangelia, Gabriele Biel super Canone, Angelica, Armilla, & Nauaro; in quibus diurna nocturnaque lectione pascantur, ac fidei admiratione, atque etiam delectatione reficiantur animi, & sursum paulatim ferātur ad diuina contemplāda. Animaduertant quoque parochi, quod debent esse parati omni poscenti rationem de ea, quæ in illis est, fide: Et, vt periti medici valeant opportuna medicamenta infirmis exhibere, sępenumero percurrant sedulo Indicem librorum

prohibitorum, vt a perniciosis & peregrinis codicibus, quibus doctrina impura cōtinetur, abstineant.

Abusus omnes tollantur omnino.


BSERVENT praeterea parochi, ne quis in sua parochia vtatur Sacramētis alia ratione, nisi ad eum vsum ad quem ipsa instituta sunt. Denūtientur suspecti de haeresi, vel sortilegi, vel haereticis adhaerētes. Itemq. vsurarij, blasphemi nō curantes venire ad veniam & viam salutis: scādalosi, insidiosi, incorrigibiles. Concubinariorum quoq; & adulterorum nomina scripta nobis, vel Vicario nostro exhibeant, vel, si qui eorum per annum in excommunicatione insorduerint. Obseruēt insuper maleficos, & superstitiosos, vt peruersi condignis poenis corrigi valeant, & profligata omni superstitione & vano cultu nō amplius vtres veteres, sed noui facti ad nouum illum hominem Christum IESVM pertineant.

De vanis & superstitiosis obseruationibus.


VLLVS audeat consignare infantes superstitiosis signis & characteribus sub poena carceris: Herbarum quoq; abusus colligendarum

in Natali Domini, & S. Ioannis Baptistę tollatur omnino: nec vlla fides adhibeatur ouo in die Ascensionis Domini, vel in Parasceue nato. Qui secus fecerit punietur arbitrio.

De aqua Sabbati sancti.



QVA fontis baptismalis ipsa die Sabbati sancti solenni ritu benedicta: quæ tot mysterijs ab Ecclesia sancta perficitur, non extrahatur ad aliũ vsum, nisi ad quẽ ipsa instituta est. Præcipimus quoque ex decreto sacri Concilij Lateranensis, ne in alijs ecclesijs secularium, vel regularium pulsentur campanæ, nisi dato signo ex nostra Cathedrali.

Sub Leone x sess. xj.

De Baptismo.



APTISMVS, qui est ianua cœli, & thesaurus diuitiarum gratiæ Dei; eo diligentius intima animi pietate & externo cultu ac veneratione tractandus, ac percipiẽdus est, quo magis saluti nostræ est necessarius. Quare si mortis instet periculum, vbi non est sacerdos, laicus baptizare potest; immo & mulier absente viro. Non tamen præsumant obstretices ba-

ptizare domi intra domeſticos parietes ſi poſſunt habere copiã ſacerdotis, vel viri alicuius. Is vero qui baptizat naturali tantum aqua vtatur, & his verbis formatis diſtinctèq. prolatis; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Ex his duobus conſtat Sacramentum Baptiſmi. Cuius beneficio conualeſcit homo ille vetus, quem ſemiuiuum reliquerunt latrones inter Hieruſalem & Hierico. Fontes vero baptiſmales in parochialibus eccleſijs ob populi infrequentiam minus celebres ad Cathedralem noſtram tranſtulimus, vt maiori cultu, ornatuq. pro rei ipſius ſanctitate ſalutare hoc regenerationis Sacramentum ſanctè grauiterq. miniſtretur.

Baptizatorum, ac Patrinorum nomina a parocho in libro conſcribantur, quorum ſempiterna memoria & recordatio firma ſit.



CVRABIT Parochus, vt infans baptizetur ante octo dies: cuius nomen præſcribet in libro, quem diligenter & fideliter cuſtodiet: ſimulq. adnotabit patris ac matris, necnõ compatris, commatriſque nomina, cognomina, patriam, diem, menſem, & annum adminiſtrationis huius Sacramenti: demum, an ba-

ptizatus ex legitimis nuptijs procreatus sit: nobisq. vel Vicario nostro quotannis præsentet. Formam vero baptizandi obseruabit iuxta ritum Romanum, nihil addens, vel detrahẽs, videlicet.

Al Nome sia di Dio.



IO N. Rettore della Chiesa di S. N. ho battezato A. figliuolo di B. & C. secondo il rito della Santa Romana Chiesa. Et e stato tenuto al sacro fonte da D. E. del tal parentado questo dì, mese, & anno. Et quando per altra necessita fosse stato battezato in casa questa forma sottoscritta alli del mese dell'anno N. figliuolo di N. & di N. sua consorte essendo stato prima battezato in casa per necessita da N. fu presentato alla Chiesa & li furono giunte l'altre solennita da me N. allequali venne N. per compare.

Vitentur compotationes, quæ apud parentes seu affines baptizati fieri solent.



AD TOLLENDOS abusus, qui in dies conualescunt, & vires maiores acquirunt conuiuia, & compotationes, quæ apud parẽtes, seu

affi-

affines baptizati indecore fieri solent, vitentur omnino tam a laicis, quàm a clericis sub pœna vnius ducati mox ad pios vsus erogandi, & alijs pœnis arbitrio nostro.

Patrinorum numerus in Baptismo.

SACROSANCTA Tridētina synodus decernit numerum compatrum, & commatrum, hoc est, virum tantummodo, aut fœminam tātum, vel simul vtrumque; Clerici vero ad tollendam omnem leuitatem, & suspicionē nullo modo fiant compatres. Sess. 24.

Parochus quid patrinos admoneat.


PAROCHVS monere non desinat affinitatem ipsam, quam inuicem compatres,& commatres contrahunt, simulq. cum baptizato & cum parentibus eius. Ex quo fit, vt matrimonium inter se contrahere nequeāt, & contractum dirimatur. Admoneat quoque eos qui fuerint aliqua Ecclesiastica censura detenti,seu eo anno sacram communionem non acceperint,ad creaturam baptismati offerendā

minime recipiendos, fideleſque omnes hortetur, vt ad tantum Sacramentum qua decet veneratione & humilitate ſemper accedant.

De vaſis oleorum.


A S A in quibus olea ſancta aſſeruātur ſint argentea, vel ſaltem ſi facultates eccleſiæ nō ſuppetunt, ſtannea bene cooperta, & cum ſua inſcriptione olei, ne confuſio generetur erorq. ſuccedat, vt vnum pro alio adminiſtretur. Item in loco honeſto & decenti reponantur. Quemadmodum nos aptari in ſacrario fecimus, ſitque vas olei infirmorum omnino ſeparatum ab alijs; ſint quoque vaſa omni macula expurgata, ſub clauibus fideliter cuſtodita.

De Sacramento Confirmationis.


ONFIRMATIONIS Sacramētum, qua admirabili Dei gratia facti hæredes, & cohęredes IESV Chriſti in tutelam Spiritus ſancti recipimur, vt ſacramentali virtute roborati, pugnemus ſtrenue aduerſus principes tenebrarum harū: non ab alijs quàm ab Epiſcopis conferri poteſt; Nā Chriſtus tunc inſtituit quando in die Pētheco-

ſtes

ſtes illud Apoſtolis ſuis contulit præcipiens, vt ab eis, ſuiſq. ſucceſſoribus, qui ſunt Epiſcopi, populis conferatur. Idcirco cum contigerit in noſtra Cathedrali eccleſia illud cōferri, debet, dignior Capituli curare, vt omnia neceſſaria diligentiſsime præparentur, & fiant. Primum ſane vt videatur, ne qui alias hoc Sacramentum ſuſceperit, iterum ſuſcipiendum ſe præſentet; Nec aliquis præterea admittatur huius Sacramenti compater, niſi prius ipſe hoc Sacramento fuerit obſignatus. Excludantur inſuper excommunicati, & enormi publicoq. peccato obnoxij. Adulti vero ante huius Sacramenti ſuſceptionem peccata ſua confiteantur. Pueri ſeptem annorum numero minores ad illud non recipiantur. Monemus ſerio parentes, vt dū eorū nati in dies ætate creſcunt, in memoriam redigant confirmationis Sacramentum illos nondum accepiſſe: ne hoc Sacramētum ex obliuione ſiue potius negligentia reiteretur. Præſtituatur liber, in quo nomina & cognomina confirmatorum & compatrum exarentur. Quoties vero cōtingit Sacramentum hoc in Cathedrali noſtra eccleſia adminiſtrari, volumus omnes parochos intereſſe, vt ipſimet eorum nomina ſcribere poſsint.

De Sacramento Pœnitentiæ.

POENITENTIA est opportunũ vitæ remedium, quo in peccati seruitutem & demonis potestatẽ lapsi soluuntur, & Deo reconciliantur. Pœnitentia enim omnibus lapsis necessaria est. Quare monemus confessarios omnes eos scilicet, qui a nobis approbati sunt, vt omni studio, patientia, & charitate ad conscientias peccatorum expurgandas & exonerandas incumbant, scientes animarum regimen esse artem artium. Ne vero in casus, qui sibi in dies offerri possunt illabantur, præcipimus vt libros optimos secum habeant, quos antea adduximus, & approbauimus. Mandamus insuper, vt semel in hebdomada congregentur, in qua congregatione duas quæstiones excutiendas proponant; ex quo animarum negocio plurimum profecturos censemus. Quæstionum vero resolutiones, si consentaneum videbitur, nobis vel Vicario nostro generali præsentari volumus.

De Pœnitentiarijs.

BI maius periculum intenditur: ibi, vt S. Greg. scribit, plenius est consulendum. Quare vt animarum salu-

ti ſalubriter conſulatur duos pœnitentiarios in Cathedrali noſtra decernimus, qui officium ſuum ſollicite, & aſsidue præſtent: neque aliud intendant niſi munus ſuum exercere pro gloria Dei & ſalute animarum.

Quo loco, & qua hora confeſsiones ſint audiendæ.



ONFESSIONES extra ecclesiam non audiant confeſſarij, niſi in cauſa ægritudinis, vel ex ſpeciali noſtra vel Vicarij noſtri facultate. Inter pœnitentes vero & confeſſarium ſit tabella, vel crates ferrea, vt audire & audiri liceat, videre & videri non liceat; vel lamina perforata media, quæ mutuum aſpectum prohibeat, auditum nihil impediat.

De confeſſarijs.



ONFSSARIORVM nomina præſertim regularium in tabella quolibet anno innouanda deſcribi præcipimus, & in noſtræ cathedralis ſacrario palam affigi.

Quid facere teneantur confessarij.

CONFESSARII exercitatos habere debent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. Qui integri ſint moribus, & vita, debentque imprimis premonere ſuos pœnitentes, ne vſque ad maiorem hebdomadam prorogent ſuas confeſsiones; tunc enim ob maxima diuinorum officiorum impedimenta pœnitentium ac ſacerdotum conſcientijs minus ſatisfieri poteſt. Satius quoque ac tutius foret ſi ſæpe ac ſæpius intra anni curriculum ſanctum pœnitentiæ, ſanctiſsimumq. Eucharistiæ Sacramentum frequentarent. Præſertim prægnantes, ſenio confecti & infirmi. Caueãt cõfeſſarij ne aliquid petant in cõfeſſione, vel extorqueãt a pœnitentibus pecunias ſub pœnis arbitrio noſtro ſeruatis: neq. ſibi vſurpent abſoluendi auctoritatem, quam non habent in caſibus Sanctiſsimo Domino Noſtro, & Epiſcopis reſeruatis, ſub pœnis ſuſpenſionis, & alijs pœnis arbitrio noſtro pro modo culpæ, & qualitatis ſcandali infligendis.

Confeſſarij regulares.



SCIANT Regulares, quorum priuilegia ſuſcipimus,& perpetuo veneramur, ex decreto sũmi Pont. Greg. XIII. congregationis Illuſtriſs. Card. & ſacri Concil. Trid. deciſum fuiſſe. Ex facultatibus per Maremagnũ, vel per alia priuilegia Regularibus conceſſa, factam eis non eſſe poteſtatem abſoluẽdi in caſibus ſibi ab Epiſcopo reſeruatis.

Confeſſarius quàm caute procedere debet in examinandis pœnitentibus.



ILLVD maxime curare debent confeſſarij, vt pœnitentes ante confeſsionem ſuorum peccatorum recitent orationem Dominicã, Salutationẽ B. Virginis, & Symbolum Apoſtolorum. Quibus maxima temperantia maximumque iudicium adhibendum erit, dum examinant pœnitentes, præſertim pueros & puellas: nam, vel cogitarunt ea, quæ proponuntur, vel certe timore & rubore ducte grauiora ſcelera ſubticent. Nullius peccata palpent, nullius diſsimulent, ne ſua

ipsorum culpa efficiantur participes alienorum delictorum. Concubinarios, vsurariosque, seu aliquo pacto aliena retinentes post primam absolutionem iterum nō absoluant, nisi resipuerint, & pro viribus prius satisfecerint. Caueant in primis ne veluti Giezi leprā alienam mundantes, ipsi leprosi fiant; ideò a pœnitentijs pecuniarijs abstineant, & si quæ fuerint impositæ, ne sibi aut ecclesijs suis attrahantur. Qui vero in his deliquerit, sciat se auctoritate ligandi atque soluendi suspensū esse, aliasque iuxta sui sceleris qualitatē pœnas daturum.

Sigillum Confessionis.

NEMINEM SANE tam impudentem tamque fore impium credimus, qui reuelaturus sit ea, quę in confessione sacramentali detecta sunt, cùm illa sub sigillo ita claudenda sint, quòd non tantum taciturnitatem ipsam præseferant, sed omni loquutionis suspicione careant. Alioqui grauissimas Canonum pœnas, quas illis minamur, incurrent.

Contra falsos pœnitentes.



LONGA IN PECCATIS MORA, & diu prorogata cõfeſsio in cauſa ſunt, vt homines ſe expedire neſciunt, Ideo Paſchali tempore quiſque habeat ſuam ſchedulam; quòd confeſſario alicui de licẽtia ſui parochi ſua peccata confeſſus eſt; Qui eũ audierit, & abſolutionis fidem faciat. qui ſecus fecerit, pœnis arbitrio noſtro mulctabitur. Præcipimus parochis ſub pœna ſuſpenſionis a diuinis officijs, ne abſoluant publicos, quos nouerint, peccatores, niſi viderint in eis aliquod ſignũ veræ & nõ fictæ pœnitentiæ, neque eos ad communionem admittant ſine firmo propoſito proficiẽdi in melius. Seſſ. 24.

Abſolutionis forma qua vti debent confeſſarij, ne pro cuiuſque voto varietur.



MISEREATVR TVI omnipotens Deus, & dimiſsis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſsionem omnium peccatorum tuorũ

Idcirco inuigilet sacrista nostræ Cathedralis ecclesiæ, vt Sanctissimi Domini Nostri Corpus in excultis intusq. & foris ornatis tabernaculis, argenteaq. pyxide continuo seruetur: innoueturq. qualibet hebdomada feria quinta, eo inquam die, quo primum a Domino N. IESV Christo confectum est.

De Lampade accensa ante sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

LAMPAS accesa semper ardeat ante altare Sanctissimæ Eucharistiæ, tum ob singularem reuerentiam sacraméti: tum etiam, vt ingredientes ecclesiam, sciãt vbi nam primum adorare debeant. Quare si extincta lampas vnquã reperiatur, sacrista mulctabitur arbitrio nostro.

De modo administrandi Sacramentum Eucharistiæ.

SACROSANCTA Eucharistia res est per se se tota plena maiestate. Idcirco, vt rem tantam populus intelligat, præcipimus, vt parochi cũ

eam exhibent populo, viros a mulieribus (si commode fieri possit) separent, apponentes eis scamna oblonga mantili cooperta. Et præter luminaria aderit Clericus cum superpelliceo ac vase illos purificandi gratia, qui communionem receperunt. Quod vas si argenteũ vel vitreum fuerit, formam non seruet calicis, ne rudes existiment se sub vtraque specie recepisse, & illud postea in sacrario reponatur, nec alia in re aut ministerio vnquam vtantur.

Discumbentium modus.


HORTAMVR omnes Christifideles, qui Sacramentum Eucharistiæ recepturi sunt, vt eo saltem tẽpore ad illud humili habitu accedant. Viri sine armis, fœminæ sine fuco vanis omnibus posthabitis, & capite semper velato.

Quando pueris administrandum est Sacramentum Eucharistiæ.

ILLVD porrò super omnia obseruandum est, vt cum pueris administratur hoc Sacramentum, examinandi sunt diligẽter, qua conscientia, animi pie

tatę & religionę sint, antequam hoc Sacramētum recipiant; instruendiq. sunt quæ & quanta sit vis, & dignitas altissimi huius Sacramenti, & quot beneficia ex eo accepturi sint, antequam ad tanti Regis mensām admittantur.

Parochi non recipiant alienos in suam parochiam ad Eucharistiam.



PAROCHVS, vt tuta cōsciētia illos communicare possit; neque suspectos habere cogatur, confessionis, & absolutionis fidem requirat, & videat. Mandamus quoque ne quem alienū recipiant in suā parochiam ad communionem. Præcipientes sacristæ nostræ Cathedralis ecclesiæ, ne quē etiam alterius parochiæ ad communionem admittat, eorū nomina ad nos fideliter transmittet post Pascha, qui tempore Paschatis ad tantum Sacramentum accedere neglexerint.

Modus deferendi Sacramentum Eucharistię ad ægrotos.



SACROSANCTA Eucharistia nō deferatur ad infirmos, nisi summa cū reuerentia, nec aliunde quàm ex ec-

clesia nostra, neque alia ratione, nisi, vt ægroti communicent, idq. seruato ordine: nam in primis pulsetur cãpana, vt sonitu præmoneat confratres societatis sanctissimi Sacramenti; & hoc de mane: in die vel sero nũquam deferatur, nisi vrgente necessitate. In quo parochi vigilabunt scire quomodo ęgroti se habeant, & quãdo periculum immineat. Itaq. sacerdos cum pluuiali & velo super humeros, sub vmbella seu baldachino per quatuor viros, aut clericos deferenda qua decet religione & pompa; præeunte cruce, & luminibus. Sacerdos cum omni reuerẽtia & honore, vultu demisso ante pectus duas Sacramenti particulas, vel plures (si opus fuerit) in tabernaculo deferat. Quarum alteram ministrabit ægroto, cum altera vero eodem cultu & religione cereis accensis ad ecclesiam reuertatur: & benedictione data, adstantibus notificet quas illi ex eorũpia actione indulgentias assequuti sunt. Quod si longius, aut per difficiles calles sacrosanctam Eucharistiam deferri contigerit, particulam vnam sat erit habere, clerico cum tintinnabulo præeunte, quo gentes ad Christum adorandum & cõmitandum excitentur.

Appen-

Appendix.



ON debet per quemlibet ſacerdotem deferri, ſed per parochum, in cuius vicinia iacet infirmus. Quo legitime impedito, per aliquem ex curatis. Cera vero quæ datur ad illuminandam ſacroſanctam Euchariſtiam a confratribus non adhibeatur in alium vſum: neque etiam ad funera, vel ad exequias confratrum: ſed ad hunc ſolum religioſum vſum perpetuo aſſeruetur.

De modo præparandi ſe ad orationem quadraginta horarum.



T DEI laudes vbique reſonent, in oratione quadraginta horarum loci prius habenda eſt ratio, vt in eccleſia. Locus præpolitus, elegãs, atque ornatus aptetur: deinde Sacramentum in vaſe tranſparenti, ſeu vitreo tabernaculo in medio altaris collocetur, & ſubſtrato mũdiſsimo corporali tabernaculum velo ſerico cooperiatur: Tunc capellanus aliuſue ſacerdos alternatis vicibus ibi cum ſuperpelliceo, & ſtola præeſſe poterit, vel abſente ſacerdo-

te duo ad minus pij confratres cum suis tunicis deuote semper adsint, ne Sacramentum absque piorum custodia relinquatur. Mulieres nō pernoctent ibi orando, sed die tantū, & quoad fieri poterit, semper a viris separentur.

De Sacramento ordinis.

CVM publicæ ordinationes habendæ erunt, proximiori dominico die omnes tam in dignitate constituti, quàm Canonici, & parochi omnes pro nobis orationes habebunt, vt nos Spiritu sancto illustrati eos promoueamus ad ordines sacros, qui Christiana pietate florent; qui sibi, & alijs prodesse possint, nam clerici sunt adiutores Diaconorum, diaconi Presbyterorum, presbyteri Episcoporum; at vero & singuli, & omnes sumus adiutores Dei. Sacerdotes enim opponunt se se quasi muros inter nos & Deū, vt ab ira eius saluemur.

Suscepturi ordines prius diligenter examinentur.



ROMOVENDI ad ordines vel minores, vel sacros diligenter & omni cha-

ni charitate examinentur coram nobis vel Vicario noſtro, in primis ſi patiantur defectum natalium iuxta Bullam Sanctiſſimi D.N. Sixti V. Pōtificatus ſui anno iiij. Quare ſtatuimus, vt nullus quomodolibet tonſus in gremio noſtrorum Clericorum recipiatur, niſi Archidiaconus bona conſcientia ex iuratis teſtimonijs proborum virorum ex legitimo matrimonio natum eſſe coram nobis, aut Vicario noſtro clariſſime probauerit: Si legitimam habeant ætatem, ac ſufficientem litteraturam, ne culpa aliqua in tanto negocio admittatur: ex cuius munere diligenter docet Apoſtolus. Quod ſit irreprehenſibilis, ſobrius, prudens ornatus, pudicus hoſpitalis, doctus, non vinolentus, non percuſſor, ſed modeſtus, non litigioſus, non cupidus, ſed domui ſuæ bene præpoſitus.


Ordinandi ad quatuor minores quæ callere debeant.



VI minoribus, [redacted] ordinibus initiandi ſunt præſententur a ſacerdote bonæ vitæ, & famæ; qui fidem integram faciat de ſuis moribus, probata vita, & ad litteras aptitudine, onerantes eius conſcientiam; intelligant ſaltem latinam linguam, ſciant legere,

ſcribere, cantare: nec ſint deformes aliquo inſigni corporis vitio lippientibus oculis, vel effracto pede vel manu. Qui Eccleſiaſtico beneficio gaudent illum Ordinem accipiát, qué ſua Dignitas, aut beneficium requirit, alioquin puniantur pœnis a ſacris Canonibus ſtatutis.

Ad Subdiaconatus Ordinem promouendi.




VBDIACONATVS Ordo velut veſtibulum & ianua ad ſacros ordines eſt. ideo promouédi ad eiuſmodi Ordiné aſſignare debét titulum: quòd ſi patrimonij fuerit, fidem in ſcriptis habeát, in quo ſita ſint bona illorum, cuiuſue pretij, & redditus ſint, eamq. Actuario noſtro præſentent: Quę bona libera ſua eſſe volumus, nec ad alienos ſpectantia, & nunquam vendi, niſi aliunde viuere poſſint. Extraneos, alteriuſq. Diœceſis clericos examinatores prædicti non admittant, niſi prius per dimiſſorias litteras exploratum fuerit, vt Tridétina ſynodus præcipit, eos ab Ordinario ſuo ad illum Ordinem quem expoſcunt, approbatos eſſe.

De libro ordinatorum.



RCHIDIACONVS Cathedralis nostræ ecclesiæ librum penes se teneat; in quo describat omnes ad ordines promotos; & quolibet anno nobis, vel Vicario nostro præsentet.

De Sacramento Matrimonij.



ICVT LEGITIMVM Matrimoniũ in Christo sponso, & in Ecclesia sponsa magnum Sacramentum est: Ita vero, nostris culpis exigentibus, in nostris viris, & fœminis tam sanctitate vltimum, quàm tempore primum relictum populo Dei. Quare ad tollendos abusus; qui quotidie surgunt in deterius, præcipimus omnibus & singulis curatis, vt qualibet prima tertij cuiusque mensis Dominica populum admoneant doceantq. clandestina matrimonia a sacro Concilio Triden. prohibita esse. Matrimonijq. Sacramentum opportunum carnis peccati remedium, & legitimo coniugij fœdere ad propagandum institutum, cum sanctum sit, sanctè agatur; est

enim connubium honorabile, & thorus immaculatus in ecclesia sancta Dei; ita vt pro suscipienda prole, & non pro explenda libidine misceantur. Insuper præcipimus iuxta eiusdem Concilij decretum, vt contrahatur matrimonium in faciem Ecclesiæ præsente parocho, duobus vel tribus testibus adhibitis; neque permittant simul cohabitare, vel matrimonium consumari, nisi præmissa solemnitate debita. Quod propterea non sine magno animi mœrore dicimus, quia sponsi, vt ad nos sæpius delatum est contra optimas sacri Concilij Tridentini hortationes in sponsarum domibus cohabitant, minusq. honeste simul versantur. Vnde flos illibatæ virginitatis grauem patitur iacturam, & viri plerumq. vxores turpiter dimittunt nulla matrimonij facta solennitate; Idcirco mandamus omnibus sponsis sub pœna ducatorum decem parochiali Ecclesię applicandorum, vt priusquam inuicem coniugantur peccatorum suorum, confessiones faciant, & sanctissimam communionem suscipiant: Missam quoque pro sponsis editam & præordinatam audiant; atque demũ a proprio parocho in ecclesia benedictionem accipiant.

Quæ de Matrimonio parochus ignorare non debet, & quæ in celebratione matrimonij præſtanda ſunt.

PAROCHVS debet de tãti ſacramenti grauitate, deque eius magnitudine breuem ſermonem habere, & prius virum deinde fœminam in terrogare. Quorum mutuo habito conſenſu manus ſponſæ a proximioribus affinibus eleuabitur: tunc ſponſus annulo iam benedicto ſibi eam deſponſare poterit. Parochus vero hęc verba ſtatim ſubinferet; Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen

Præſtituatur liber, vbi coniugum nomina ſcribantur.



LIBRVM PARABIT parochus, in quo conſcribet nomina coniugatorũ contrahentium, nec non & nomina teſtium, qui vna cum alijs baptiſmi, & confirmationis libris detur Epiſcopo eo tempore quo ſupra diximus, & quàm diligentiſſime in archiuio Curiæ no-

ſtræ cuſtodiendus erit.

Vagantes, & minores contrahere non permittatur.

SVNT quidam, qui conſtantię obliti a ſeipſis fugiunt, nullos inueniunt: cancellos, quibus ſe includant: ſed modo huc, modo illuc, modo hac, modo illac auolant. Ideo vagantes perditoſq. homines, & pueros quatuordecim annis minores, nec non puellas, quæ duodecimum annum nō compleuerint, parochi matrimonium contrahere non permittant.

Mandatur ſub pœna excommunicationis Matrimonij impedimenta detegi.

NVLLVS audeat ſub pœna excōmunicationis matrimonij impedimenta celare: vel inſcio parocho matrimonium celebrare. Et ne quis inuitus cogatur contrahere ad tollē da ſcandala quæ ſuboriri poſſunt, in Miſſa cū frequentior erit populus in eccleſia debēt pręcedere denuntiationes.


Quibus anni temporibus nuptiæ ſint prohibitæ.



EMPORIBVS prohibitis ab eccleſia ſancta ſolemnitates, & cõſummationes matrimoniorũ, nullo modo admittantur: hoc eſt ab Aduentu Domini ad Epiphaniam: & a quarta feria Cinerũm ad octauam Paſchæ incluſiue, quo tempore nuptiæ prohibentur. Quæ alio tamen tẽpore fieri ab Eccleſia permittuntur. Quod, vt omnes intelligant, parochus die Dominico cuiuſlibet anni præcipue in Aduentu & Quadrageſima Decretũ ſacri Concilij Tridentini de reformatione matrimonij populo ſuo declarare teneatur. Seſſ.24.c.10.

Decreto del ſacro Concilio di Trento, da publicarſi dalli Curati in lengua volgare almeno nel principio dell'Aduento, & Quareſima per la reformatione de matrimoni, & altri tempi ſecondo il biſogno, per leuare molti abuſi intorno ad eſſi.

Conc. Trid. Seſſ.24.c.1. De reformatione matrimo.



ENCHE non e da dubitare, che i matrimoni clandeſtini fatti con il libero conſenſo di contraenti ſiano fermi, & veri ma-

trimoni mentre che la Chiesa non li há fatti inualidi, & percio si debbono dãnare quelli si come il santo Concilio li anatematezza, li quali negano tali matrimoni esser veri, & fermi. Et quelli ancora, che falsamente affermano i matrimoni contratti da figliuoli di famiglia senza il consenso di lor padri, esser nulli & inualidi: et detti padri poterli far validi o inualidi. Nondimeno la santa Chiesa di Dio per giustissime cause há sempre cosi fatti matrimoni biasimati & proibiti. Ma hora il sacro Concilio auertẽdo, che quelle proibitioni per la disobediẽtia degli huomini gia piu non giouano: et considerãdo i graui peccati, quali da medesimi matrimoni clandestini nascono massimamente di quelli, che pseuerano in stato di dãnatione; mẽtre che abbandonata la prima moglie, cõ la quale haueuano contratto clandestinamẽte il matrimonio, publicamente lo contraggono con vn'altra, & con quella viuono in perpetuo adulterio. Al qual male non potẽdosi soccorrere dalla Chiesa, laquale nõ giudica delle cose occulte, se non vi si pone alcun rimedio piu efficace. Per questo seguendo li vestigij del sacro Concilio Lateranense celebrato sotto Papa Innocentio iij. commandiamo, che per l'auuenire auanti che il

In cap.51. & in c.cum inhibitio de cland.desp.

matrimonio si contragga, si debba in tre volte in tre giorni di festa cõtinui dal proprio parochiano publicamente denontiar nella Chiesa fra la solennita delle Messe, fra quali persone si ha da conttaggere tal matrimonio. Quali denontiationi fatte se non vi si oppone alcun legitimo impedimento, si proceda poi alla celebratione del matrimonio in faccia della Chiesa: doue il sacerdote parochiale interrogati da lui l'huomo, & la donna & intesi il loro mutuo & libero consenso, ouer dica. Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ouero vsi altre parole secondo l'approbato costume, & rito di ciascuna Prouincia. Ma se alcuna volta sara probabile sospitione, che il matrimonio possa essere malitiosamente impedito se fossero fatte innanzi tante denõciationi, in quel caso: ouero si faccia vna sola denonciatione, ouero almeno in presenza del sacerdote parochiale, & di due o tre testimonij si celebri il matrimonio, & dopo auanti la consummatione di esso matrimonio si facciano le predette denonciationi nella Chiesa, accio se vi sono alcuni impedimenti, più facilmente siano scoperti. Eccetto se il prelato ordinario giudicara essere espediente, che le predette denontiationi si rimettano. Il che il santo Concilio ripone nel-

